ANTONII BERGAE, TAVRINEN. DOCTORIS Philoſophi & Medici inſignis, Naturales Prælectiones.

7



IN MONTE REGALI

Excudebat Leonardus Torrentinus.

M. D. L X V.

SERENISSIMAE

Margaritæ Valesiæ, Biturigum Principi, Inuictissimi Allob. & Taurin. Ducis, pudicissimæ coniugi.



ESCIO quo nam fato in mentem meam uenerit, ut hasce prælectiones ederem, Celsit.q; tuæ nuncuparem: quibus ea in primis explanare studui, quæ ad difficillimam naturalis disciplinæ Præfationem attinere censentur. Cum ne id ego facerem, nominis tui maiestas, & auctoritas monere viderentur, nec non ipsius operis obscuritas postulare, quæ in hanc usq; diem Aris. interpretes plurimum turbauit. Tantum autem apud me potuit studiosorum vtilitas, vt illi potius, quàm officio meo aut tenui famæ consulendum, existimauerim. Itaq; Celsit. tuæ cum ea sit gloria, ut in genere regio non solum heroicis moribus abundare, sed etiam rerum omnium cognitione summis principibus præstare, omnes intelligāt, opus hoc meum tibi dicari hodie sustinebis: quod & si quantum mea intersit, obscurum fore videatur, plurimum tamen diuinitatis secum habet, cum ob prima sapientiæ initia, quæ nobis aperit, tum propter sui Auctoris præstantiam, in quo Natura quicquid in humanis fieri potuit, collocasse putatur. Futurum enim est, ut absolutum de principijs rerum naturalium sermonem emittam, quod paratum habeo, quandocumque hæc lau-

 dari

dari cognouero, atque ſub auctoritate altiſsimi tui nominis prodire patiar; quandoquidem Celſit. tua illis ſolum rebus di gna ſit, quæ in honeſtis & præclaris principem locum obtinuerunt. Etenim cum Religione Fide nec non Pietate animum ad corporis illecebras cœlitus demiſſum fuiſſe, minime oſtendas, ſed ut diuinis Mentibus nobis uiuendum fore arbitremur, quæcumque Sapientiam ipſam æmulantur iure ipſo tibi debentur. Atque cum eam vitam agas, quam intelligentie viuere perhibentur, non paruam delectationem phi loſophica monimenta aßiduis tuis meditationibus ſupp editabunt. Propterea quod nihil pulchrius ijs qui mortem ſæpe meditantur, contingere ualeat, quàm ea maxime contemplari, in quibus felicitatis originem collocatam eſſe uidemus; qua quidem Celſit. tuam cum delectari fruiq. quotidie experiamur, quoniam nullis uirtutibus caret, ut mihi nonnihil tanti boni accedat, ſtudia mea fouere indiesq́; augere minime recuſabis. Cuius profectò rei me uoti compotem futurum, cum ſperem, finem dicendi faciam. Atque interea Deos exorabo, vt multis ſæculis Celſit. tuam, Ducemq. potentiſſimum nobis imperare, patiantur. Vale ex Florenti Academia Montis Regalis decimooctauo Calēdas Nouembres.

Celſit. Tuæ

Humilis ſeruus fideliſq. ſubditus
Antonius Berga.



VI de ſummo vitæ huius Bono recte ſanctéque dicere conſueuerunt, cognitionem illam ualde præſtare intellexerunt, cuius inſtitutio in ſola diuinarum humanarumq. rerum meditatione ſe ipſam continere videtur: quandoquidem nihil ea cōtemplatione melius hominibus euenire poſſe putent, quæ cum ratione incedens, entium omnium naturam indiuiſibilem aſſequitur & ſpeculatur: propter quam immobilium ſeparatarumq. ſubſtātiarum notitiam conſequimur, in quibus fœlicitatem omnem repoſitam eſſe fatemur. Siquidem primæ cum exiſtant, nihil admittere uideantur, quod diuiniſsimam illarum actionem impedire valeat. Quæ profectò maieſtas in primo rerum omnium appetibili ſupremoq. intelligibili admirabilis eſſe fertur, cum aliud nusquam reperiri valeat, in quod hominis animus aliquando ferri debeat. Inferiores autem mentes eius gratia mouere, ſemperq. intelligere ſtudent, vt illi quantum fieri poteſt, ſimiles euadant, necnon præclarum illud vitę genus experiantur, in quo poteſtatem nullam ineſſe apparet: quam ubi mens noſtra in magnitudine poſita, ſecum habet, difficile eſt vt mortem ipſam meditetur, quod propriam eius operationem in vita perfecta eſſe, putamus, quoniam operatio, quę ſecundum virtutem fit, omnium proculdubio eſt iucundiſsima, ut quæ mirabiles ſecum habeat puritate nobilitateq. voluptates. Etenim cum tota in intellectu poſita ſit, aſsiduam nullisq. temporis menſuris definitam contemplationem habet, entiumq. omnium Ideis plena, ſumma fruitur fœlicitate. Illos itaque quos rerum omnium cognitione abundare videmus, uere beatos eſſe nemini dubium extare debet, proptes rea quòd in ceteris, quę animi non ſunt, nullum bonum inueniatur: vnde apud Athenienſes, quemadmodum Plato in Timæo teſtatur, ſancitum erat, vt qui Sapientia præſtarent, diuitias

uitias contemnerent, præſertim Reipub. cuſtodes, quoniam virtutem omnia ſuppetere, Thaletis Mileſii factum oſtendit, qui ab aſtronomia edoctus, futuram olei penuriam, cum pluſimum modico argento ſuum faceret, amplas diuitias facile comparauit.

Pluris autem illæ ſunt faciendę, quæ hominis animum inſtituunt atque exornant, quas cum iuſtitia, fortitudine, prudentia, animi magnitudine, nec non rerum omnium ſcientia, accedere videmus: quorum uſus in vero perfectoq. homine deſideratur, ſiquidem illis cum virtutibus veterem hominem exuat, nouum autem induat, Fortitudine autem cum ab iis, quæ in ſenſu poſita ſunt, ſe ipſum ſeparet, quæ difficillima videntur, audere minime dubitat, inter quæ principatum Iuſtitia obtinuit, cuius præſtantiam adeò extollere viſus eſt omnis Sapientiæ princeps, vt dixerit, neque Heſperus, neque Lucifer, adeo fulgens eſt, & mirabilis, cum uirtutes omnes iuſtitiam ipſam concomitentur. Nullam enim ſui commodi rationem habet, at ſemper alterius curam ſuſcipit, Quapropter illos tantum iuſtos appellare decet, apud quos huius virtutis perfectus eſt vſus, quoniam ſuis in rebus unumquemque utiliter ſe habere, facillimum extat, in iis autem, quæ ad alios ſpectant, difficillimum, quod ſapientiſsimus Bias uere dixit: Magiſtratum virum oſtendere, ſiquidem in eo iuſtum atque iniuſtum reddi poſsit, at illorum alterum altero operoſius. quoniam recta facere nemo valet, niſi ſedatis animi motibus quibus homines vt plurimum in deterius cõmutantur, ex quo mirum eſſe non debet, ſi probabiles nec non captioſe in Foro inſurrexerint diſceptationes, quæ omnem iuſtitiæ vſum euerterunt, in quo admirabilis vniuerſi ordo, rerumq. omnium immutabilis conſtantia continetur. Natura tam ſapienter omnia gubernare, & ſingula fouere non poſſet, niſi recta ratione vteretur, cuius imperium quæcumque ſuſcipiunt, aptiſsima lege ſuſtinentur, quod Mundus Deorum & Hominum declarat, quorum ſuperior inferiorem ita moderatur, ut ſe p

per eius lationibus sit continuus atque omnis sua virtus inde gubernetur, quod quidem legem a Satore & totius Orbis Opifice inditam fuisse declarat, nullumq. animantium esse, nostra hac in regione comprehensum, cui fatum naturæ ingenitum non fuerit, male siquidem homini consultum esset, si fato quodam destitueretur, cum modo sensum, modo rationem ipsam insequatur: Dij autem in indiuisibili semper maneant, mentiq. tantum inseruiant, Bruta uero ad id solum du cantur, quod uis eorum ingenita requirit.

Absque prudentia nihil rectum homo facere potest, cum illa habitus quidam sit animi quo quid nam in vitæ actionibus insequendum sit, quid ue fugiendum facile dignoscitur. Nulla etenim electione, nullo item consilio humanum genus uteretur, nec minus de societate ipsa sine prudētia quicquā cogitasset atque secundum ceteros mores recte se habuisset; Quare Socrates in Memnone Platonis principem locum prudentiæ ui sus est tribuisse, quoniā uirtutes cū bona in actione positæ sint omnis autem actio, quæ bona est, recta cum ratione accedat, recta autem ratio ipsa cum prudentia contingat, non sine illa ceteras uirtutes constare patet.

Magna autem facere, proprium hominis esse, cum uideatur, quoniam ceteris imperat animantibus, absque animi ma gnitudine præclare viuere non potest, elato enim animo esse, non autem humili & abiecto, solius hominis proprium fo re censetur, ut quem minimis incumbere non deceat, sed magnis quæ immortalia existunt.

Mobilium præterea necnon immobilium & separatarum substantiarum cognitio summa illius est perfectio, siquidem propter contemplationem Natura hominem fabrefecerit, multisq. organis & potentijs exornauerit, quibus rerum omnium species nec non ipsarum intelligentiam susciperet, quod illi præstare cum esset difficile, cœpit ex eorum, quæ apparebant, admiratione, causas earum inuestigare, donec pri mam intelligeret, in qua quæcumque cum sensibilia tum in-

telli-

telligibilia actu existunt, veluti in materia prima potestate, quorum notitia nihil habet præstantius, cum tantarum rerũ scientia, brutis imperet, Deoq. similis euadat. Nam quandocumque huiuscemodi actione destituitur, nihil sanè á pecudum genere discrepare uidetur, viuere enim & ipsum sentire atque aliquid cogitare, cernimus: præstantissima itaque hac operatione ab eo sublata, nihil supra hæc agit, quoniam potestates illæ, quæ nihil mentis habent, omnes à materia ortum ducunt, nec non ab ipso corpore dependent, itaque imperfectæ sunt, ut nullam homini diuinitatem concedere valeant.

Rerum itaque perfecta cognitio illi proposita fuit, ut omnium inferiorum operum præstantissimum esset, quod mirabiles Naturæ effectus per ueras propriasq. causas meditaretur, donec ultimam perfectionem indueret, quam indocti homines assequi non possunt, quemadmodum Orpheus iisce carminibus testatur.

Gens indocta feris similis, cui celica nullam
Mens lucem irradiat, sed quæ improba despicit omne
Consilium Diuum, lucens mortalibus, & quæ
Haud meditatur opus celsum, & mirabile, quam non
Atra sinit nubes, cingens fera corda, subire
Florida prata Deæ virtutis, & amœna vireta.

Mens enim extrinsecus nobis cum accedat, nec in semine cum aliis potentiis sedem habeat, lumen aliquod nobis concedere nõ potest, vbi primæ generationis naturam retinemus, quæ tota in materia & quattuor elementis posita est: quare alteram Natura nobis miserta, cõcessit, quæ in sola intellectione manet: Habitibus enim speculatiuis rudis animus cum perficitur, insurgit, necnon altissima meditatur, ad quæ sensus ipsi ferri non possunt, proinde tantam induit nobilitatem, vt summi luminis compos euadat, cuius beneficio separata intelligit, nec non intelligentiæ naturam induit, nullam phantasmatum rationem habens, sed earum tantum rerum, quæ mẽ-

tem

tem ipsam exornare videntur, inter quas materies sine qua nulla rerum naturalium constare potest, primum occurrit, etenim à motu separare cum nequeant, omnis autem motus subiectum requirat, materiam adesse oportet, necnon & formam, propter quam actionem & passionem in omni generatione, id quod subiectum est, admittere videtur.

Quibus motus cognitio succedit, quandoquidem absque motu, nihil naturale dici mereantur, quoniam quæcunque mota mouent, naturalis sunt considerationis, quæ vero non, alterius disciplinæ. Tres enim cum sint scientiæ speculatiuæ Naturalis, Diuina, & Mathematica, non solum penes materiam circa quam versantur, differre videntur, verumetiam secundum ipsam definiendi rationem: Naturalis autem circa ea quæ sunt cum materia & motu uersatur, quare sine illis nihil considerare, debet, simitatem enim quæ est quædam naturalis forma, sine naso minime definit: Diuinus autem philosophus omnia à, materia & motu separat, nullamq. eorum in substantiarum tractatione, rationem habet. Mathematicus circa magnitudines ratione tantum à, materia separabiles, versatur, quare omne mobile naturale est,& omne naturale mobile, ea est in natura uis ipsius motus: cuius cognitio confert plurimum, ad ea perquirenda, quæ à sensibus valde seiuncta sunt, veluti sunt prima & simplicissima rerum naturaliũ principia, nec non & primam mouens, quod esse, motus ipse ostendit: veluti materiam primam, continua horum inferiorum generatio & corruptio, quoniam cum alterum contrariorum manere, alterum uero abire opus sit, ne id quod producitur, simplex fiat, materiam cum altero oppositorum reperiri, necessarium extat.

Motus autem cognitionem, loci & temporis tractatio sequitur, postea uero vacui atque infiniti, quorum aliquam rationem naturalem philosophum habere decet. Alicuius enim momenti apud priores philosophos fuit locus, cum primorũ corporum differentiam ab ea, quæ locorum est, acciperent,

quos ea in re quodammodo Arist. sequutus est, cum graue corpus illud esse, dixerit, quod ad medium fertur, leue autem quod à medio, plurimi quinetiam qualitates secundas à loco desumpsere, cum molle illud esse, dixerint, quod alieno termino, durum quod proprio facile describitur. Atque naturalia corpora cum in loco moueantur & quiescant, sitq. locus terminus corporis continentis, ad motum necessario loci perscrutatio sequitur: omne autem corpus, quod fertur cum non in instanti, sed in tempore cieri debeat, temporis notitia succedit, cuius ea traditur ratio, esse mensuram motus secundum prius & posterius siquidem tempus sit aliquid ipsius motus, quoniam temporis differentiæ sunt in motu.

In mouentibus vero & motis, cum sit necessarium dari statum, quoniam infinitum natura minime patitur, ad vnum primum monens, quod ab alio nō moueatur, deuenire oportebit, quod quidem penitus immobile existat: Atque semper cum fuerit motus, ad illud primum mouens ascendere, quod immateriale est & sempiternum, propterea ꝙ perpetuitas motus virtutem infinitam sequatur, quæ ad præteritum & ad futurum æqualiter se habet, non autem finitam, quæ magnitudinem necnon ipsum corpus admittit.

In ijs itaque quæcumque ad rerum naturalium principia pertinere possunt, constituta sunt, à quibus omnis, quæ cum ratione contemplatio procedit, initium facere debet, cum ab eis cetera non solum ipsam essentiam, verumetiam & intelligentiam adipiscantur: inter quæ cœlum cum elementis omnium corporum simplicissima, primum occurrunt, quorum cognitio hominis animum ualde extollit, siquidem cęlo prima causa utatur, vt eorum, quæ sub Luna sunt conseruationem intendat, elementis autem vt inferiora omnia esse ipso mortali fruerentur, in quo mixtorum omnium ortum nec nō ipsum interitum experimur, variasq. naturæ operationes admiramur, secundum quas illam nostris in actionibus immitamur: quorū nō est ut modo separatos sermones habeamus.

Quibus

Quibus ſi ea, quæ ad animatorum materiam & formam ſpectant, nec non ad animalium & viuentium operationes addiderimus, nihil omiſſum uidebitur, quod ad naturalem contemplationem conuenire videatur, quoniam in animatis & illorum operibus finem ſuum natura collocaſſe, putatur.

DISPVTATIO DE BEATITVDINE.

HOminem in mortalibus, ad fœlicitatem natum eſſe, ſatis ex his, quæ præfati ſumus, patere poteſt. Itaq; operæpretium eſt, vt de beatitudine ipſa peripatetice diſputemus, quantum locus hic poſtulare videtur, quandoquidem huius problematis occaſionem dederit Ariſt. At cum fœlicitas ipſa nihil aliud ſit, quàm fruitio aut ipſa ſummi boni adeptio, quæ in ſeparatarum ſubſtantiarum contemplatione conſtituta eſt, non ſine ratione quærimus. An intellectus noſter in magnitudine exiſtés, ſeparata intelligat, ita quòd homo per intellectum, intelligentiarum cognitionem aſſequi valeat, & tandem beari. Ad vtramque problematis partê Ariſt. ſcripta reliquit, cum in Metaphy. uideatur modo affirmare, fieri non poſſe, ut intellectus humanus Deum & Angelos intelligat, quoniam intellectus noſter ad ſeparatorum cognitionem ſe habeat, quemadmodũ oculus Noctuæ ad lumen Solis, aliquando autem illa intelligere ſtatuat: quoniam ſeparata niſi intelligerentur fruſtra eſſent, cum omne quod ſui natura eſt intelligibile, quemadmodum actu intelligibilia ſunt neceſſarium ſit vt intelligatur. Quod etiam optimis rationibus in vtramque partem allatis, dubium eſſe & Theologi & Peripatetici oſtendunt. Etenim Theologi cum beatitudinem conſtituant in intuitione Dei benedicti, in ha vita hoc illi minime contingere volunt, cum quibus munus noſtrum vt diſputemus nequaquam poſtulat. Satis itaque officio noſtro ſatisfactum iri putamus, ſi rationes quibus Ariſt. interpretes utuntur, attulerimus, necnon quas habeant in hac perdifficili ma-

teria opiniones.

Hominem autem ſeparata minime intelligere, eo argumento oſtendi poteſt: quoniam intelligere ex Ariſt.ſentẽtia in primo de anima cum ſit phantaſia quædam, aut non ſine phantaſia, Dei autem & Angelorum, quæ actu ſeparata ſunt, non autem ſeparabilia, nulla ſit phantaſia, fieri non poteſt vt ea intellectione, quæ per ſpeciem accedit, intelligantur. Ea vero intellectione, quæ eſt per eſſentiam, cum tantum contingat intellectui, cum non amplius a, phantaſia dependet, in hac vita ſeparata intelligere humanus intellectus non poteſt. Quod vero ſeparata humanus intellectus intelligat, rationabile videtur, Quoniam Homo in hac vita niſi ultimam perfectionem indueret, atque intellectum illius aliquando a phantaſia minime dependere contingeret, in eoq. eadem eſſe intelligens intellectum cum intellectione, ſequeretur ipſum omnium animantium villiſsimum fore, cum proprio fine deſtitueretur, nec non agentem intellectũ, fruſtra illi tributũ eſſe.

Nulla eſt inter Aris. interpretes diſſenſio, quòd humanus intellectus ſeparata intelligat, at quo nam intellectu, hoc illi contingat, digladiantur, cum plures in anima rationali reperiantur.

Alexander etſi in hoc ualde ambigere uideatur, quòd intellectu materiali, quem præparationem & mortalem eſſe voluit, homo ſeparata intelligere non ualeat, exiſtimauit, quoniam mortale æterno uniri, eſt impoſsibile, atque ſit neceſſarium, inter virtutem & obiectum proportionem cadere: quod ſi virtus materialis fuerit, ad immateriale penitus ferri non poteſt, quoniam ſequeretur, uirtutem ſiue ſubſtantiam poſsibilem in neceſſariam conuerti, atque intellectum ipſum materialem, qui mortalis eſt, fieri unum cum Deo, quoniam intelligentem oportet idem fieri, cum eo quod intelligit, ſi per eſſentiam & actu intelligere debeat, virtus enim immortalis cum per ſpeciem intelligit, mortale intelligere poteſt, at cum per eſſentiam virtus mortalis intelligit, immortale cogno

ſcere

ſcere nequit, quoniam in intellectione per eſſentiam, cũ intellectus ſit ipſa intelligibilia, ſequeretur, naturam corruptibilem in perpetuum mutari, quod valde eſt abſurdum apud Peripateticos. quare opinatus eſt Alexander, ꝙ per intellectũ adeptum homo ſeparata intelligat, qui quidem intellectus, nihil aliud ſit, quàm intellectus ille, qui actu intelligit & eſt factus ipſa intelligibilia, quem Them. de mente Alex. uoluit componi ex intellectu in habitu & intellectu agente. Hunc autem intellectum ſeparata intelligere uoluit, qm̃ nobis extrinſecus accedere videtur, ſiquidem ut noſter intellectus actu intelligat, ſit neceſſarium, quæ ſunt poteſtate intelligibilia, actu intelligibilia reddi, ab intellectu agente, qui ſecundum Alexãdrum cum ſit ipſe Deus, quando actu intelligimus, contingit Deum intellectui noſtro copulari modo formæ, cuius auxilio poteſt intelligere ſeparata. Ita ut homo per Deum ſeparata intelligat qui eſt ſeparatus. Proprium enim intellectus adepti cum ſit creare ipſa intelligibilia, nec nõ illa intelligere, eſt neceſſariũ ut quæ ſunt potentia intelligibilia, actu reddat talia & ut omnia entia tum materialia tum immaterialia intelligat. Cum itaque hic intellectus ſit ipſamet intelligibilia & omnia, fieri nõ poteſt qui inſeparata intelligat. Atque cum ſit neceſſarium inquit Alexander. Omne ens, quod generatur ut in fine generationis ſuam actionem conſequatur eſt neceſſarium intellectũ in habitu cum peruenerit ad finem ſuæ generationis ut ſuam exerceat operationem, quæ eſt creare intellecta & illa intelligere, quod intellectui in habitu contingit cum tranſit in adeptũ ex copulatione agentis.

Alpharabius cum Alexandro concordat, intellectum materialem eſſe generabilem & corruptibilem, diſcordat autem ab eo, quoniam hunc intellectum etſi mortalem, ſeparata intelligere putauit, propterea ꝙ Agens intellectus apud eũ nihil aliud eſt, q̃ cauſa efficiens in nobis, ita quòd in ſui perfectione agentem, qui immortalis eſt intelligat, quoniã fieri non poteſt quin ea, quæ ſui natura ſunt intelligibilia, non intelligantur,

quem-

quemadmodum ſenſibilia ſentiri videmus ſeparata intellectũ mortalem perfectum tamen, intelligere putauit, quod magis eo argumento oſtendit, quoniam hic intellectus aptus eſt abſtrahere formas ipſorum intelligibilium, & per conſequeus abſtracta intelligere, cum difficilior ſit abſtractio ipſa intellectione.

Auempaces autem Hiſpanus, qui huius intellectus immortalitatem cum Themiſtio profitetur, exiſtimauit, hoc intellectu æterno adhuc imperfecto, hominem intelligere ſeparata, quoniam hic intellectus eſt aptus, etiam abſtrahere formas ipſorum intelligibilium, atque quidditates, cum itaq; in quidditatibus, quæ ab intellectu ſeparantur, detur ſtatus, erit neceſſarium deuenire ad primam quidditatem, quæ abſtractorũ eſt, quam intellectum intelligere oportet.

Themiſtius vero intellectu materiali & perfecto, hominem ſubſtantias ſeparatas intelligere, putauit, in III. de anima cap. quinquageſimo primo, vbi ait, videtur enim intellectus materialis etiam hac facultate præditus, proculdubio, ut res pœnitus materia abiunctas poſsit comprehendere. Nam qui naturas materiales ſeparando, intelligit, longe facilius ea intelligat, neceſſe eſt, quę per ſe abſtracta ſunt. Non.n. inferior eſt materialis intellectus agente, quod in materialia non intelligat, ſed quia materialis quandoq́. Agens autem ſemper illa intelligit atque cum abſtrahat multo magis ſeparata intelligere debet.

Et quando intellectus hic fuerit perfectus, operationẽ propriam exercebit, & Deo aſsimilabitur, in eo quod uidebitur quodammodo entia omnia eſſe, quod non patitur ubi adhuc eſt imperfectus.

Simplicius autem quem Auerroes ſequi videtur, eo intellectu hominem ſeparata intelligere dixit, qui ſemper intelligit, nec à phantaſia dependet, quem Mentem quandam eſſe voluit, in ſe manentem immortalem atque omnino ſeparatam, quoniam beatitudo cum in ea intellectione, quæ per eſ-

ſentiam accedit, poſita ſit, intellectui qui à phantaſia dependet, & per ſpecies, quæ ab eo ſeparantur, intelligit, contingere non poteſt, ſed illi ſolum, qui quidem eſt omnia intelligibilia, tum materialia tum immaterialia atque ſemper intelligens, quod quidem homini tantum in poſtremo vitæ euenire, videtur, momentoq. temporis illi adeſſe quando intellectus agens nobis efficitur forma in actu, in ea copulatione, quæ actu efficitur. in qua in intellectu noſtro idem ſit intellectus, intelligere, atque id ipſum quod intelligitur, ueluti in Deo & ceteris intelligentijs.

Quod clarius in tract. de beatitudine cap. iiij. declarat, cũ inquit, virtus rationalis, quæ eſt in homine non eſt ipſa eadem in ſe intellectus in actu, nec per naturam ſuæ eſſentiæ, ſed intellectus agens reducit eam in intellectum in actu, & concedit quòd alia ſint ſibi intelligibilia in actu, quod quidem cum animæ rationali contigerit, tunc aſcendet ad aſsimilationem rerum abſtractarum, & intelligit ſuum eſſe, quod eſt actu intellectus, & tunc in eo unum & idem efficitur intelligibile intelligens atque intellectum, nec nòn reducitur in eſſentiam intellectus agentis, ita vt intelligat agentem, qui fuit in cauſa ut actu fieret intellectus, quãdo illi eſt copulatus: cum itaque intellectus noſter hanc perfectionem acquiſiuit, completa eſt noſtra beatitudo inquit Auerroes.

Sententiis diuerſis in hac materia propoſitis, neceſſarium eſt vt quæ nam illarum ad Ariſt. mentem magis accedat, diſcutiamus. Itaque ut ab illis exordiamur, qui intellectum materialem mortalem profitentur, hanc nobis relinquunt difficultatem, quoniam nullam viam naturalẽ habent, quomodo poſſimus quemadmodum inquit Auer. continuari cum intellectibus abſtractis, intellectus enim debet eſſe intellectũ omnibus modis, præſertim in rebus a materia ſeparatis, quare ſi ſubſtantia generabilis & corruptibilis poſſet intelligere ſubſtãtias abſtractas, efficeretur unum cum ipſis, ex quo tãdem ſequeretur, naturam poſsibilem reddi neceſſariam, quod eſt impoſsibile,

cum

cum æterno & corruptibili nihil commune esse valeat.

Alexandri autem dictum, quod intellectus adeptus separatas substantias intelligat, dubitationes habet, qm̃ hic intellectus cum nihil aliud sit, quàm intellectus, qui actu intelligit, & est ipsa intelligibilia, alterius substantiæ esse non debet, ab intellectu in habitu, ex quo fieri videtur, cum intellectum agentem recipit, atque intellectus in habitu &qui actu est, cum sint mortales secundum Alexandrum, qui tantum agentẽ, qui non est pars animæ nostræ, sed Deus, immortalem asserit, nõ poterit abstracta intelligere. atque cum sit necessarium si agẽs immortalis illi copulatur, vt separata intelligat, profectò ipsum agentem intelliget, quod si dabitur, erit adhuc dicendũ, mortalem naturam in immortalem conuerti.

Quoniam opus est, vt id quod per essentiam intelligere dicitur, sit idem cum eo quod ab ipso intelligitur, intelligere enim per essentiam, nihil aliud est, quàm fieri actu ipsum intelligibile, quod si actu fiat intellectus noster intellectus agẽs, qui Deus est, quomodo nam fieri poterit, quin natura mortalis non transeat ad immortalẽ: nec potest copulatio hæc agentis reddere immortalem intellectum in habitu, quoniam secũdum Alexandrum, intellectus agens cum deforis accedat, sitq. ipse Deus, non potest nobis uniri nisi vt forma assistens, & cõcurrere quemadmodum Sol ad ea, quæ illuminantur, quare & si videatur esse causa, quòd intellectus in habitu actu intelligat, non potest tamẽ esse causa, vt quod est mortale, euadat immortale. Difficile præterea est, admittere, quomodo nã Deum æternum contingat animæ nostræ mortali vniri, quare relinquatur, hæc Alexandri sententia, quã plurimis confutat Auer. in 3. de anima. com. 36.

Priores etiam Alpharabii opinio dubitationes admittit, atque falso nititur fundamento, quoniam etsi intellectus agens tantum uideatur esse causa efficiens, attamen intellectus, qui possibilis est, non est ille qui intelligit, sed qui actu est ipsa intelligibilia, & idem cum illis, quare intellectus materialis ille

non

non est, qui agentē intelligit, sed intellectus in actu, qui quidem nihil aliud est, quàm intellectus speculatiuus actu ut ita dixerim speculans, quare intelligibilia etsi fieri non possit, quin intelligantur, non tamen à materiali intellectu intelligi debent, sed ab eo qui actu intelligit, quemadmodum visibile fieri non potest, quin ab eo qui actu uidet, non uideatur. Alterum præterea Alpharabij fundamentum nihil concludit, quoniam etsi munus illius sit, abstrahere, species ipsas, non tamen est necessarium vt per essentiam intelligat separata, bene potest per species ipsas intelligere, quod ad beatitudinem nihil facit. Nobis enim hoc loco sermo est de illa intellectione, quæ est per essentiam, quam sub est actu separate, quorum nō est phantasia, requirunt.

Præterea quemadmodum Auer. ad Alph. scribit, si intellectus materialis generabilis & corruptibilis separata intelligit, cur ergo huiusmodi intellectio non se habet, quemadmodum aliæ intellectiones materiales.

Auempaces sententia, quæ asserit intellectum materialem æternum nondum perfectum, separata intelligere, in primis destruit Arist. in 3. de anima, qui hunc intellectum tabellæ assimilat, in qua nihil depictum est, quare cum nullum sit intelligibilium, sed potentia ea, quæ intelligi debent, fieri non potest, vt aliquod intelligibilium intelligat, cum sit necessarium intellectum, qui tum materialia tum immaterialia intelligere debet, ipsa intelligibilia fieri, quod quidem intellectus imperfectus admittere non potest, sed ille solum, qui actu est atque actu intelligit. Atque cum necessarium sit, ad intellectionem, vt id quod est potestate intelligibile, actu tale reddatur, quoniam in intellectus operatione, quemadmodum in illa, quæ sensuum esse fertur, tria concurrant, non poterit absque agente intellectus materialis in aliquod intelligibilium intelligere. Mirum præterea est cum hic intellectus imperfectus omnibus datus sit, quare non omnes separatarum substantiarum cognitionem assequantur, si nulla ad illarum contemplationem di-

ſpoſitio per habitus ſpeculatiuos deſideratur.

Fundamentum autem quo vtitur Auemp. nihil concludit, quoniam etſi abſtrahat, quoniam abſtractè recipit hic intellectus, propterea non eſt dicendum, per eſſentiam ſeparata intelligere, etſi in ſeparatione quidditatum perueniat ad primam quidditatem, cuius non eſt quidditas, quæ abſtrahi debeat, qm̃ in abſtractione illa fieri nõ poteſt prima quidditas, cũ actu nondum intelligat. Præterea quemadmodum inquit ad Auẽp. Auerroes, ſi intellectus in ſeparatione quidditatum ſucceſsiue intelligit, ſequetur, in ſubſtantia æterna dari actionem nouam, quod eſt impoſsibile, quoniam æterna virtus tam in præterito quàm in futuro intelligere debet.

Quod etiam ſententia Them. admittere videtur, cum ponat intellectum hunc æternum non niſi perfectum intelligere ſeparata. Quoniam ſi eſt æterna virtus hæc, cum illi poſsit intellectus agens ſtatim continuari, mirum eſt, quomodo nam in præterito veluti in futuro non intelligat ipſa ſeparata, quoniam perfectio, quam habet, ſufficit ad Agentis intellectus copulationem. Them. vero fundamentum ex eo iam ſublatum eſt, quoniam virtus materialis, quæ abſtrahit, poteſt quidem per ſpecies intelligere, non autem per eſſentiam, nos autẽ hanc quærimus, in qua eſt poſita hominis vltima perfectio & beatitudo: & propterea inferior eſt intellectus materialis agente, cũ per eſſentiam Agens intelligat & ſemper materialis autem per ſpecies, & quãdoq; intelligat quãdoque autem non intelligat. Quare materialis intellectus cum ſit æternus, etſi materialia & immaterialia per ſpecies intelligat, non eſt dicendum illũ actu ſeparata, quorum non ſunt ſpecies, per eſſentiam intelligere.

Vera itaque nec non Peripatetica erit opinio Simplicij & Auer. intellectum materialem Agenti copulatum, qui quidẽ eſt mens nec amplius à phantaſia dependet, cum in eo ſit idem intellectus, intellectio, & intellectum atque ſemper intelligat, nec non per eſſentiam, ſeparata intelligere, ex qua tandem oritur beatitudo, quoniam intellectionem in qua fœlicitas poſi-

ta

ta est, assiduam esse oportet, quæ intellectus qui adhuc à phantasia dependet, esse non potest: vnde mirum non est, si tantum in vltimo vitæ nobis contingat, cum rerum omnium Ideis & cognitione abundamus, atque ab ijs corporeis & materialibus mentem ipsam separamus, in quo quidem Deorum actionem exercere videmur. Etenim cum ipsum intelligere, sit propria intellectus operatio, atque aut per specierum separationē fiat, aut per essentiam, veluti quando Deum cognoscimus, vt est ipse Deus, in ea intellectione Beatitudo consistit, quæ est per essentiam, ea uero quæ fit abstractione specierum, disponitur solum intellectus noster solum ad ipsam intellectionē, quæ vniuersalium est.

Quæ quidem copiosę magis & subtiliter in 3. de Anima, si dabitur occasio, repetemus.

Auctoritas autem Arist. quę à nobis in cōtrarium allata fuit, difficultatem quidem arguit, esse autem hoc imposibile, nequaquam. Quare etiam nec ratio ipsa cogit, quoniam nō semper contingit, intelligere esse cum phantasia, quoniam cū per essentiam intelligit, absq; imaginatione intelligere videtur intellectus noster.

DIGRESSIO DE SVBIECTO NATVRALIS DISCIPLINAE.

PLurima cum sint, ea quæ ad Naturalem disciplinam spectant, ut ab illa scientia, quę vna est, tractari commodè ualeant, operæpretium est, unum illis commune genus statuere, à quo contineantur: de quo in hanc vsq; diem, Aristotelis interpretes habent controuersiam.

Etenim qui Platonem sequuntur, Naturam genus subiectū & rebus omnibus naturalibus accommodatum esse dixerunt, cuius principia, partes atque pasiones in physicis explicentur: quod etiam Arist. testimonio confirmantur cum in 3. Physic. Auscul. dicitur Methodum esse, de natura Simplicius Res

 natura-

naturales, quatenus corporeas, genus ſubiectum fore ſtatuit: quoniam de incorporeis eſt Diuina, de corporeis autem immobilibus tamen ſunt Mathematicę. Quidam Latinorum corpus mobile pro ſubiecto poſuerunt, cum triplex dari corpus excogitauerint, naturale, Mathematicum & Metaphyſicum; quod, an ita ſe habeat, ad libros de cœlo diſcutere pertinet.

Thomas quem plurimi ſequuntur, ens mobile ſubiectum genus & materiam toti philoſophiæ naturali accommodatam eſſe uoluit, non autem corpus, quoniam corpus de materia; forma, primo mouente & anima rationali minime dicitur, atque cum de ente ſimpliciter ſit Metaphyſica, de ente mobili neceſſarium eſt, Naturalem philoſophiam ſermonem facere; Mathematicas autem de ente quanto.

Scotus Theologus inſignis, ſubſtantiam finitam materiam ſiue ſubiectum genus eſſe uoluit, propterea, quòd finitum atque infinitum ſint paſsiones primi modi, ipſius ſubſtantiæ.

Auerroes autem in præfatione lib. Phyſicorum, Res ſenſibiles, inquantum tranſmutabiles, nec non illarum accidentia, quoniam de ſenſibilibus rebus atque immutabilibus etiã conſiderationem facere poteſt Diuinus philoſophus, qui vtramque ſubſtantiam ſpeculatur, ſenſibilem ſcilicet, nec non intelligibilem. de accidentibus autem immutabilibus Mathematice dicere poſſunt.

Alexander autem, Themiſtius cum Theophraſto videntur ſubſtantiam ſenſibilem, quæ quidem à motu minime ſeparat, aut ſubſtantiam ipſam mobilem, quos ſequitur Auicen. genus ſubiectum totius philoſophiæ naturalis affirmare propterea quòd Ariſtoteles in principio ſexti Metaphy. vbi ſcientiarum ſpeculatiuarum differentiam ex genere nec non à definiendi ratione ſumi determinat, tandem propter partes entis præter Metaphyſicam, quæ ens contemplatur Naturalem & Mathematicas diſciplinas inter ſcientias ſpeculatiuas collocauit, quarum altera ſubſtantiam altera aut accidens, in quæ ens diuiditur, ſpeculantur: atque ſubſtantia ipſa cum

in

in sensibilem & mobilem, intelligibilem atque immobile m se cetur, quæ sensibilis est à motu tamē nō separat Naturali subijcitur considerationi. Quod clarius ab Arist.in.12. Metaphy.5. scriptum est, cum inquit, tres igitur cum sint substantiæ, inter quas una immutabilis pœnitus & immobilis est, quæ non sensu sed intellectu solo cōprehenditur, reliquæ duæ sensui subiectæ sunt, quarum una perennis altera caduca, inquit, sensibilis substantia naturali scientia indiget, non enim à motu euadere potest, secundum omnes sui partes: altera vero ad aliam scientiam spectat, cum nihil utrique sit commune.

Atque nam earum opinionum, quas recentere libuit, magis ad mentem Arist. accommodata sit, operæpretium est, vt discutiamus. Vt autem à priori exordiamur, non adeo patet, natura, ut apte de omnibus in physologia consideratis, dici posit, siquidem uere tantum Natura de materia & forma dicatur, alia autem potius à natura sunt, aut secundum naturam. atque inscriptionem nobis tantum suppeditat totius naturalis disciplinæ, non autem cetera, quæ subiectum præstare solet, quare Platoni relinquatur qui Timæū de natura inscripsit: cum apud Peripateticos, qui de subiecto si est, & quid est supponunt, nullum locum mereatur, atque pars potius subiectiua sit, cuius definitionem veluti ceterarum partium tradit Arist. non autem subiectum. Totius scientiæ, cuius si est & quid est à superiori artifice peti solet. Nullum autem eorum fundamentum nobis negotium facere potest, quoniam de Natura cogitur Arist. in 2. Physicorum dicere propter motum cuius natura principium esse fertur, atque cum omnibus naturalibus insit, in ijs, quæ communia videntur, poni debet.

Simplicij sententia etsi magni doctoris fuerit, patitur difficultatem, quoniam corporeitas vt ita dixerim non est ratio cuius auxilio ab alijs scientijs separatur, cum circa res corporeas etiam uersentur mathematicæ, atque cum multa sint in naturali philosophia tradita, quibus ratio corporis non debetur,

quem-

quemadmodum materia prima, primum mouens humanus intellectus, non poſſunt res ipſæ corporeæ ſtatui pro communi genere totius naturalis philoſophiæ.

Vnde etiam incommoda ſatis eſt eorum Latinorum opinio qui corpus mobile, materiā eſſe uoluerunt cum in lib. phyſicarum Auſcul. nulla ſit de corpore facta mentio à Philoſopho, quoniā primus liber in quo de corporibus agitur, eſt liber de cœlo, quod Ariſt. indicauit cum in exordio eius operis dixerit ſcientiam de natura fere plurimam non autem omnem uerſari circa corpora, magnitudines, paſsiones horum & motus. ſiquidem primum mouens omnino ſit in corporeum, nec non & anima humana, quam in mixtam impaſsibilem nullius corporis actum in 3. de anima ſtatuit Ariſt. atque cum probetur in 6. phyſ. corpus mobile eſſe, non poteſt pro totali genere conſtitui in naturali diſciplina.

Thomæ opinio etſi apud plurimos recepta ſit, nulla etiam, mea quidem ſententia, eſſe videtur, quoniam Ariſt. entis partes à ſubſtantia & accidenti accepit, non autem ab ente mobili & immobili, nulla enim, ſecundum ens mobile atque immobile diuiſio ab Ariſt. in Metaphyſ. facta fuit, ut pro diuerſitate generis ſcientiarum multitudinem declararet, ſed tantum penes primas entis partes, quæ ſunt ſubſtantia & accidens. Præterea ſi de ente mobili eſſet naturalis philoſophia, dicendum foret metaphyſicam eſſe de ente immobili, & per conſequens illam eſſe ſcientiam particularem, nō autem communē quemadmodum omnes fatētur cum ſit de ente ſimpliciter Metaphy.

Scoti opinio etſi fuerit Doctoris ſubtilis, fatua eſt, & indigna tanto doctore, quoniam finitum ueluti infinitum eſt paſsio ipſius quanti, non autem ſubſtantiæ, etenim etſi finitā eſſe omnem ſubſtantiam corpoream ſit neceſſarium, attamen eſſe finitam non eſt paſsio eius ſubſtantiæ, quæ naturalis eſt, pręterea per ſubſtantiam finitam non ſeparat à Metaphyſica, quæ ſubſtantias ſeparatas & numero finitas contemplatur, nec non ab Aſtronomo minime diſcrepabit, qui corpus cœleſte,

quod

quod est substantia quędam finita & sempiterna contemplatur. Amplius si est substantiæ finitæ, Naturalis nequaquàm supponit, cum in primo Phy. Auscul. infinitum, secundum magnitudinem numerum & speciem non dari, demonstrare cogatur, Arist.

Duæ itaque postremæ, quæ eandem uim apud me habent, Peripateticæ sunt & auctoritate Arist. satis dignæ. Res inquam sensibiles secundum, quòd mutabiles, aut substantiam ipsam sensibilem, quæ à motu non separat, genus commune toti philosophiæ naturali esse, cuius principia partes atque passiones speculantur, atque de quo ipsum quid est atque si est supponuntur, quod ita se habere non modo à dictis Arist. peti potest uerumetiam & ratione comprobari. Nam philosophus 6. Metaphy. primo differẽtiam scientiarum speculatiuarum à subiecto genere indicans, de substantia metaphysicam, & naturalẽ agere dixit, de accidentibus aut Mathematicas, at cum de substantijs diuersis tractare oporteat, naturalem & diuinum plurimum in 12. Metaphy. 5. quæ nam substantiarum Naturali cõtemplationi & quæ metaphysico subiecta sit ostendit, atque eã quæ sensui comprehenditur cum æternam tum ortui obnoxiã Naturali concedit, intelligibilem autem perpetuam atque immobilem ipsi Metaphysico. Quod quidem magis declarans Themistius, inquit, cum nihil sit commune substantiæ sensibili & intelligibili, aut in generatione, aut in loco, aut in augmento, aut decremento, nec in principio à quo producantur Naturalis sensibilem, quæ à motu minime separat assumit, intelligibilem autem atque immobilem Diuinus philosophus, quod etiã ab Arist. in 7. Metaphy. 42. clarum habetur. Illudq. rationes ita esse ostẽdunt, etenim cum de subiecto si est & quũ est in scientia supponantur, à metaphysico vtrumque accepit Naturalis, qui de substãtia tum sensibili tũ intelligibili ut sunt substantiæ considerat, illiq. tantum ipsam mobilitatem adiungit, de qua nullam curam habet Metaphysicus, qui à motu & à materia separare solet.

Am-

Amplius cum Analogum genus esse debeat, speciebus ab eo contentis, hæc substantia per prius de sempiterna, per posterius vero de caduca prædicatur, nihil est in naturali philosophia primo intentum, de quo substantia hæc non prædicetur.

Partes præterea atq; passiones huius substantiæ nec nō principia Naturalis philosophus tractat, principia.n.sunt materia & forma partes corpora omnia simplicia & mixta. Passio autē motus qui est passio omnibus rebus naturalibus communis. Nec me mouet cuiusdam viri grauissimi auctoritas, qui à me primum hanc veritatem intellexit, anteq̃ Them. paraphrasem quæ nunc in lucem prodijt, perlegissemus, ꝙ frustra addita sit à nobis ea particula inquantum mobilis, propterea ꝙ idem sit mobile, quod sensibile, subiecto.n.eadem esse fatemur attamē vbi ad scientiarum considerationem relata sunt, nō eadem est ratio sensibilis & mobilis, quoniam de sensibili aget Metaphy. non minus q̃ de intelligibili, immo maior pars Metaphysicę est de substātia sensibili, minima autem de intelligibili, cū de hac in 12. tantum libro agat Arist. itaque assumens substantiam sensibilem Naturalis, qui Metaphysico subijcitur, illi motum ipsum adiungit, quod Auer. & Them. quos apertos habemus dixerunt, substātiam sensibilem, quæ à motu non separat naturalem philosophū contemplari, quod quidem ab Atis. obseruatum videmus, qui Metaphy. 12. de substantijs separatis atque immobilibus se dicturum pollicetur. non enim altero fuit cōtentus. De substantia enim sensibili vt substantia est agit Metaph. vt mobilis Naturalis.

Quæ autem Naturalis negotij partitionem expediunt, nullam difficultatem secum habent, quoniam apud omnes receptum est, in duas primum partes totam naturalium rerū scientiam secari, in eam videlicet, quæ magis communium esse fertur, in qua ea tantū pertractantur, quæ communiter omnibus naturalibus insunt, cuiusmodi sunt principia prima, & quę res omnes naturales cōsequuntur, motus, tempus, locus, vacuum, infinitum & continuum, quorum tractationem prosequitur

Arist.

Arist. in opere, quod physicã auscultationẽ appellari voluit, in quibus ea primum tractat, quæ ad materiam formam & priuationem spectant, quibus cetera succedũt, quæ ad motũ, tempus, locum, & motus species, nec non ad primi mouentis contemplationem conducere uidentur. Altera autem pars illa est, quæ minus communium tractationem suscipit, quæ quidem à magis simplicibus ortum habent: inter quę primas partes obtinuerunt lib. de cœlo, in quibus de primis corporibus agitur cœlo videlicet, & quattuor elementis.

Quos quidem libri de ortu atque interitu insequuntur, in quibus de elementis, quatenus sunt prædita primis qualitatibus actiuis atque pasiuis, nec non vt sunt materia generationis atque corruptionis inferiorum omnium differitur, quibus partes illæ succedunt, quæ de mistis omnibus pertractant, inter quas, quæ de imperfectisimis esse perhibentur, priores existunt. quemadmodum opus Meteotologicum, in qua de illis mistis sermonem habet Arist. quæ ex vtraque exhalatione ortum habent, quorum tractationem mistorum perfectorum notitia consequitur, quæ cum animatorum sit atque in animatorum, quæ in animatis ut metallis debetur, natura prior esse putatur, in animatis autem ea, quæ animalium esse fertur, omnem quam de plantis habemus disciplinam, antecedit, quoniã plantę ex cognitione eorũ quæ animalibus insunt, facilius innotescere uideantur. Cum tamen quoniã simpliciores sunt, anteire deberent. Quorum finis sunt ea, quæ animantium formam declarant, quorum contemplatio ad libros de anima demandata est, quos postmodum libri paruorum naturalium in quibus de animãtium operibus contẽplationem exercet Arist. subsequuntur.

Ab ijs autem ordo & numerus partium philosophiæ Naturalis dependet, quem nobis ipse Arist. in exordio operis Meteorologici indicauit, cum inquit. De primis igitur causis Naturæ & de omni motu naturali: Adhuc autem de recte dispositis secundum superiorem lationem astris, & de elementis

corporalibus, & quot & quæ : & de ea, quæ ad inuicem trãsmutatione, & de generatione & corruptione communi dictũ est prius. Reliquum autem huius Methodi est adhuc considerandum, quòd omnes priores Meteorologiam uocabant: Hæc autem sunt quæcumque accidunt secundum naturã quidem, inordinatiorem tamen primi elementi corporum, circa locum maxime propinquum lationi astrorum, & de lacte, & cometis, & ignitis, & motis imaginibus, & quæcumque ponemus vtique aéris esse communes passiones, & aquæ. Adhuc autem terræ quæcumque species, & partes & passiones. Partium ex quibus, & de flatibus & terræmotibus considerabimus, utique causas & de omnibus quæ fiunt, secundum motum horum. Adhuc autem & de fulminum casu, vorticibus & accensis turbinibus, & alijs circularibus, quæcumque propter congelationem accidunt passiones, eorundem horũ corporum. Cum autem pertransiuerimus de his, speculabimur si quid possumus dicere de animalibus & plantis, vniuersaliter & sigillatim. Ferè.n.his dictis, finis utiq; factus erit totius eius quod à principio nobis propositi.

Quæ res propter libros de anima & paruorum naturalium ab Arist. addita fuit, qm̃ in illis constitutus est finis vniuersæ tractationis de natura. Postremo autẽ loco animã collocauit, quoniam anima si comparetur partibus animalium & plantis, rationem formæ habet, Materiam autem in tractatione, quæ naturam imitatur formam antecedere patet, quoniam imperfectissima est, forma autem cum perfectio sit, dignior atq; nobilior existit. Atque quemadmodum inquit Alexander, Animæ notitia commode haberi nequit, nisi ipse possidentis Animæ apparatus primum cognoscatur, nec non partium omnium dispositio, quoniam ijsce cognitis non trahemur tandem in admirationem, quomodo Anima tot operationum princeps esse possit. Animalia autem plantas, quæ simpliciores sunt, propterea antecedunt, quoniam plantarum partes ad similitudinem earum, quæ insunt animalibus, facilius cognoscuntur

ſcuntur itaque in omni diſciplina à notioribus exordiendum ſit, ob hanc cauſam de animalibus tractationē antepoſuit Ariſt. ei quæ de plantis. vt iam alium ordinem excogitare perabſurdum ſit in partibus philoſophiæ Naturalis, nec non numerum qui octo partibus clauditur.

Quibus hunc in modum ad mentem Ariſt. conſtitutis, nihil relinquitur, quod veritatem hanc oppugnare debeat: etenim quæ in principio lib. de ſenſu & ſenſili uidentur libros de anima pręponere libris de animalibus, nullius ſunt momēti, quoniam non de animalibus quantum ad eorum partes & materiā dicere promittit, ſed de operationibus communibus & proprijs animalium & vitam habentium, de quibus recte diſſerere non poterat, niſi forma & materia animalium & viuentium perſpecta.

Alterum autem ſumi ſolet ab Ariſt. in 2. de generatio animalium cap. 3. quoniam inquit in eo opere in lib. de Anima determinatum eſſe, quare anima vegetatiua & ſenſitiua intellectiuam antecedant, quoniam hoc non ait Ariſt. vt ordinem definiat, ſed ut ad memoriam reuocet, quæ ad rem propoſitam faciunt, nè in ſcientia inutiles contingant repetitiones.

Perabſurdum etiam apud me eſt Recentiorum inuentum, quòd libros de generat. animalium Ioannis Gram. aut decepti, quem in exordio phyſicarum Auſcul. minime intellexerunt à lib. de hiſtoria & partibus animalium ſeparauerint, & inter paruos naturales repoſuerint, cum in lib. paruor. naturalium nō tantum de operibus animantium ſed etiam viuentium omnium agat Aris. quorum in lib. de gener. animalium nulla ratio habetur.

ARIST. PRAEFATIO

ET IN EAM ANTONII BERGAE

COMMENTARIVS.

Particula I.

Quoniam cognoſcere ac ſcire contingit circa omnes ſcientias, quarum ſunt principia aut cauſæ aut elementa ex horum cognitione.

MAximum ſtudium res naturales poſtulare, vt cognoſcantur, in primis dignitate propoſita, quemadmodũ in omni præfatione facere ſolet, Ariſt. mea quidẽ ſententia, indicare videtur. Quandoquidem hominibus, qui ratione atque intelligentia vti debent, ſatis illa cognitio eſſe nõ poteſt, quæ ſenſibus ſolum vtitur, ſed vt eam ſibi etiam adiungant opus eſſe cenſetur, quæ ex vniuſcuiuſq; rei principijs originem ſumit, quoniam perfectiſsima cum ſit, animum ipſum recte inſtituit, nec non ad ipſam contemplationẽ ducit. Quòd ſanè præceptum cum Naturam ipſam immittetur diuinũ extat quoniam vbi quidpiã efficere ſtudet, totius actionis initium à primis ſimplicifsimiſq. cauſis ſuſcipit, materiam primum parans, deinde uero formam ipſam introducens, ut ex utriſque naturale corpus inſurgat, quod varias exerceat operationes, quod ita ſe habere Artes factiuę declarant, quæ in materia corporea atque ſenſibus ipſis ſubiecta verſantur, quoniam domificator materiam domus antea componit, deinde autẽ totius formam in fine operis introducit. Manifeſtum, itaque eſt idem in ſcientijs, quæ ſunt ipſarum rerum contingere, ſiquidem ille cauſas cum habeant, ex quibus conſtare uidentur, earum auxilio etiam innoteſcere, operæpretium fore, patet.

Quod Ariſt. ab una propoſitione, quæ inter ueriores collocatur,

locatur, auſpicatus, ita rem ſe habere in ſcientia naturali pro ponit, teſtimonium præterea ſubſcribens, ab ipſa exiſtimatione ſapientum acceptum, vt demum quid nam primum in rerum naturalium cognitione intelligere, debeamus, aperiat: in quo operis de phyſica auſculatione materiam poſitam eſſe conſtat. Nec præter rationem adeo communi exordio utitur, cum omnium ſententia receptum ſit, in hoc opere illa tantum explicari, quæ rebus omnibus naturalibus communia eſſe perhibentur: itaque communia cum non niſi communibus interponi debeant, recte Ariſt. Totius quæ de Natura eſt contemplationis, procemium in principio librorum de phyſica auſcultatione collocauit: quod illius materiam aperit, nec non Methodum atque ordinem, quibus in tota hac diſciplina uti oportebit. Huius autem operis, quod de principijs & de motu eſſe fertur, intentionem in hac prima particula huiuſcemodi ratione colligere videtur, Scientia habens principia cauſas & elementa ex eorum cognitione nobis accedit. Scientię de natura ſunt principia cauſæ & elementa, quoniam res naturales, quæ hæc habent contemplatur. Igitur in ſcientia Naturali à principijs cauſis atque elementis eſt incipiendum.

Quod ſi minorem omittere voluerimus, non incommode ratiocinatio hoc modo conficietur, quoniam omnis ſcientia habens principia, illis præcognitis accedit, igitur in Naturali ſcientia, cum illa habeat, ab ipſis exordiendum erit: ut particulam Cum, ſiue quoniam demere opus non ſit, quoniam antecedens veluti conceſſum ſumitur, ad quod ſi ad Enthymema rationem reduxerimus, conſequens recte conſequitur. Poteſt Ariſt. ratiocinatio etiam rebus accommodari, ut ſi dicamus Res quarum ſunt principia aut cauſæ, aut elementa, illis cognitis innoteſcunt: Res naturales cum ſint compoſitę, illa habent, igitur in rerũ naturalium præceptione, ab illarum principis eſt inchoandũ: occaſionẽ tamen à ſcientia Ariſt. capere, uidetur, quę res ipſas contemplatur, qm̃ ſcientia perfecta cũ ſit per cauſã, vt ſcientia naturalis quę una ſpeculatiuarũ eſt, per

cauſas

causas accedat manifestum esse debet. Quare non est vt demonstremus id, quod pro minori propositione subijci potest, sciẽtiam naturalem habere principia causas & elementa, quoniam quemadmodum Porphy. existimauit à Diuino philosopho illam petere licet, qui scientiarum speculatiuarũ principia causas atque elementa esse docuit: cogitur autem Theoph. qui rationem rebus accommodauit, minorem interponere atque ex eo ostendere, quoniam res naturales compositas esse manifestum est: quodcumque tamen sequuti fuerimus, mentẽ Arist. non variat, quoniam scientiam ipsarum rerum esse, satis constat: quod autem dubitationem insurgere facit, illud apud me est, quoniam quæ nam sint illa principia, à quibus exordiri debeamus, non multum patebit, quoniam scientia ipsius Artis Res autem sua principia magis postulabunt, utrumque tamen in speculatiuis scientijs, quæ res contemplando demonstratione vtuntur, accidit, quoniam artis & rerum principia se se concomitari uideantur: artis uero, quæ Theoremata sunt antecedunt, quoniam demonstratio, quæ ad res ipsas ferri solet, illis uti debet, quod ubi non animaduerterent Arist. interpretes, illos in hanc usque diem ualde turbauit, de quo in quarta particula fusius dicemus, in qua tota difficultas posita esse uidetur.

Dixit autem Arist. omnes scientias quarum sunt principia, propterea quod non omnis scientia proprijs principijs vtitur, veluti illę, quæ diuersarum scientiarum principia sibi accommodant, qualis Dialectica, quæ omnes scientias ingreditur, esse perhibetur, quæ communibus & alienis vtitur, vt cum circa materiam medicam, aut naturalem uersatur, illa siquidem scientiæ omnes veluti instrumento vtantur, quod pluribus inseruire apta sit. Cuius generis etiam Rhetoricę fore censentur, & ceteræ artes, quæ definiendo & diuidendo tantum procedunt, non autem demonstrando, quemadmodum Ars Galeni medicinalis esse putatur, & tota pars curatiua, in Arte medica. inter quas illæ non sunt connumerandæ, quæ demon

monstratione signi vtuntur, quemadmodum grauissimi quidam inter recentiores Arist.interpretes putauerunt, quoniam cum sit species demonstrationis quia, principia tantum habent propria artes, quæ illa vtuntur, per scientiam autem non nisi perfectam intelligit, quoniam hæc sola uidetur principia sibi vendicare, cum sit per ipsam causam, quod ut Arist. indicaret non solum dicitur cognoscere, sed scire, ac si velit eã nos cognitionem intelligere, quę per ipsam scientiam accedit. ita ut per cognoscere quid communius ipso scire intelligat, quoniam cognitio ad ipsam opinionem traducitur, quæ cognitio quædam est, veluti inquit Plato auctore Simplicio, scire autem tantum ei cognitioni debetur, quæ à causa propter quam res est, ortum habet, atque in tam communi præfatione potuit utroque vti Arist. atque alterum per alterum exponeree, cuius gratia si nominis locus est in scientijs demonstratiuis: quare di uersa minime declarant ut per cognitionem siue per intelligere definitiuam, per scire autem demonstratiuam Arist. intelligat, quoniam hic non est sermo de instrumentis scientiarum, sed de scientijs ipsis, atque in hoc cõi procemio non est opus ut ad hęc duo cognitionũ genera interpretationem referamus, quemadmodum Thomas putauit. An vero scientias an potius Methodos & doctrinas legendum sit, etsi maximi momenti esse non uideatur, melius tamen est ut sciẽtias legamus, quæ & artis & rerum principia habent, non autem Methodos, cũ nihil aliud esse uideatur ipsa Methodus quàm habitus quidam qui uiam pręstat cum ratione, atque tantum Artis principia postulare, Methodus enim etiam in illis uersatur disciplinis, quę non sunt ipsarum rerum, & quę demonstratione minime vti videntur. Legere autem Doctrinas tantum abest, ut totam Aris. artem tollat, atque quoniam Doctrina etiam illis disciplinis tribuunt, quę proprijs principijs non utuntur, quibus propositio ab Arist. proposita, nullo modo conuenire potest. Quapropter non bene faciunt illi qui in Arist. versione suum potius genium, quam ipsam rationem sectantur. vt fucatis eo-

rum

rum verbis laudem aliquam aucupentur.

Tota vero difficultas, quæ in dictis Arist. haberi potest, in vocabulis principia causæ atque elementa consistit.

Auer. tribuit Alexandro, per principia causas agẽtes & mouentes intelligi, per causas finem, per elementa vero materiam & formam, quoniam proprie illis vtitur Arist. quod sermo disiunctiuus indicare uidetur, quam sententiam sequitur Auer. propterea quòd non omnibus scientię omnes vtantur, quoniã Mathematicæ formalem tantum causam admittunt, Metaph. autem materiam ipsam derelinquit, Naturalis autem circa omnes solus uersatur, itaque ut hic scientiarum diuersitas significaretur, aliud per hæc vocabula hoc loco intelligere minime oportet. Quod etiam sermo dubitatiuus inquit Auer. ita esse ostendit.

Simplicius Alexandro imponit, quòd Eudemum sequatur, quoniam per causam non solum finem sed etiam formam, per elementa autem materiam tantum intellexerit, quoniam uere elementum si alijs causis comparetur, materia dicitur: forma uero cum sit terminus mutationis, videtur esse id cuius gratia, efficiens autem causa cum sit vnde motus dicitur principium.

Ioannes Gram. cum videret rei huius difficultatem, duo proponit, aut principiũ & causam in eadẽ significatione pro efficiente & fine sumpta esse, elementa uero pro materia & forma, aut communiter principij nomen usurpatum esse causa pro efficiente & fine elementum itidẽ pro materia & forma.

Porphyrius autem per principium & causam eadem intelligi putauit, etsi principium magis patens sit ipsa causa, quoniam tot modis dicitur ipsum principium, quot causa dici solet, ita ut subiecto eadem sint, sola vero ratione discrepare videantur, quoniam principiũ dicitur quatenus antecedit, causa quatenus quidpiam efficit, quod aperte ab Arist. v. Metaphy. scriptum est in cap de principio & causa.

Recentiores qui elegantes commentarios ediderunt hæc vocabula omne genus causę significare uoluerunt, quod vnumquodq;

quodque significare aptum est, aut certe si non omne, ea quæ elementi vocabulo significantur, nempe materiam & formam, à quibus rerum naturalium tractationem Arist. auspicatur, ita ut per principia nihil aliud intelligat, quàm ipsa elementa. Quoniam materiam primam uere elementum esse, in cap. de elemento ab Arist. habetur Metaphysi. quinto. quo etiam forma digna est cum & ipsa inesse videatur rebus ipsis, quemadmodum materia. in quo quidem Simonem Portium illustrem Philosophum insequuti sunt, qui nihil ad rem hanc attinere putauit, siue causas siue principia siue elementa dixerimus, quoniam ab illis, quæ rationem principij & causæ habere uidentur, cum prima sint semper incipere decet.

Simplicius Themistium sequutus, Per principia id quod commune est causis atque elementis intelligi putauit, quoniam principium dicitur non solum de principio transmutationis, sed etiam de quattuor causis ex Arist. quinto Metaphy. quarto. vnde omnis causa est principium, omne uero principium causa non est, propter priuationem ad cuius esse nihil sequitur. Quod ita se habere etiam particula disiunctiua indicare potest principijs apposita, ita vt proprie illis minime vtatur Arist. quoniam proprie illis uti huic loco adeo communi non conuenit atque singulatim de illis dicere ad Metaphy. pertinere videatur.

Sententijs interpretum enarratis: vt ambiguitates omnes diluamus, & veram Arist. mentem assequamur, ut de illis iudicium faciamus, operæpretium extat.

Vt autem à prioribus auspicemur, quæ proprię illis uocabulis uti Arist. putauerunt, atque non in omnibus scientijs omnia, quæ hæc significant reperiri. Aristoteli omnino repugnare videntur, propterea, quòd in sexto Metaphysi. statuat scientiarum speculatiuarum maxime principia causas atque elementa esse, ac si nulla sit, quæ omnia hæc non admittat, quoniam Mathematicæ materiam habent cum sonorum,

numerorum atque magnitudinum paſsiones probent,à materia minime, quæ illis propria eſt, abſcindunt, quam intelligibilem eſſe patet, atque illis propriam & accommodatam. Metaphyſicam autem, quæ ens ſimpliciter ſpeculatur, principia & cauſas entis inueſtigare, nulli dubium eſt, cum illud affirmarit Ariſt. atque de omni cauſarum genere conſiderare, quoniam de cauſis,vt cauſæ ſunt Metaphy. mentionem facere, oportet. & eminenter vt ita dixerim de omnibus, quæ ſcientiæ illi ſubiectæ dicunt, tractare debet. In Artibus etiam factiuis hoc patet, quæ intellectu vtuntur, quoniam Medicina calidum & frigidum, humidum & ſiccum pro principijs accipit & cauſis, humores autem cum membris tum ſimilaribus tum diſsimilaribus pro elementis corporis humani, quæ quidem ſi diuerſis in ſcientia conſideratis tribuantur, poſſuntque modo principij rationem habent, eam quæ elementi eſt ſumere, ut ſi calidum frigidum humidum & ſiccum temperaturarum tum ſimplicium tum compoſitarum elementa eſſe dixerimus, quoniam elementum nihil aliud, quàm proximum & immediatum rei principium, ſignificat,in qua quidem ſignificatione materia & forma prima rerum naturalium principia ſimplicium & primorum corporum elementa appellasi poſſunt, & in Mathematicis immediate propoſitiones, à quibus Euclides in libro ſuo quem Elementa conſcripſit, auſpicatur.

Mirum præterea eſt, quomodo nam ſi proprie ijs uocabulis vtatur Ariſt. nullam cauſarum atque elementorum mentionem in concluſione ipſa habuerit, quare de Auerrois Alexandri atque Eudemi ſententia non eſt vt rationem aliquã habeamus,qui hęc proprie accepta fuiſſe putauerunt.

Recentiores autem,etſi in eo recte ſentire videantur, quòd minime illis vocabulis proprie vtatur Ariſt.nihilominus in eo grauiter peccant, cum elementa hic ſignificari crediderint, & ab illis Ariſt. exordiri,quoniam in primo & ſecundo libro huius operis, de materia & forma agat,quæ elementi nomine digna ſunt,quemadmodum elementi ratio in.v.Metaphy. allata oſtendit,

ostendit, quod ita esse, non potest, cum priuatio de qua agitur in primo libro, nullo pacto elementum, quemadmodum principium, quod mutationi debetur, appellari ualeat, sine qua cum principiorum numerus statui nõ posit, elementum intelligi non debet, quod si intelligeretur, quemadmodum dicunt, mirum est, quare elementorum in conclusione non meminerit Arist. atque etiam in testimonio omnia repetat, ac si principiorum causarum atque elementorum cognitio desideretur, ut res naturales perfectæ intelligantur. Cui illud accedit quod tantum elementa naturali tribuant, quod alijs vitio vertunt cũ in Naturali principia causæ atq; elementa reperiãtur.

Nemo præterea tam parum est philosophiæ studijs initiatus qui tam leui ratione obscuritatem hanc non euitaret, siue in disciplinis fuerint causę siue principia siue elementa ab illis initium sumi debere, hoc enim, disciplinis non accidit, sed rebus cum tractantur. Quare in omni disciplina omnium considerationem facere opus est.

Ad Eudemum autem dicendum puto, fieri non posse in rebus naturalibus, vt materia tantum nomen elementi suscipiat, non autem forma. Cum forma illud sit propter quam res esse dicitur: materia vero ob quam fieri uidetur.

Porphyrius vero an sit dignus reprehẽsione, apud me dubiũ est, quoniam & si dixerit æquale esse ipsum principium causæ, quoniam totidem modis dicatur, non tamen negauit principium causa cõmune magis esse, quare per principium potuit etiam quid commune causis atque elementis intelligere, quoniam de causis omnibus principium dici, atque causam in plus se habere. v. Metaphy. scribit Arist.

Quare cum Themistio & simplicio laudem meretur, proprie nequaquàm vsum fuisse Arist. his vocabulis, nec non principium pro quodam communi ad causas & elementa acceptũ esse, quod conclusio Arist. indicat, & quia aliter nos in testimonio dicere non cogat, quemadmodum Auer. cõtigit, tum quòd scientiæ omnes speculatiuæ hæc tria admittant, cum in

rebus quas pertractant vt plurimum priora & posteriora principia reperiantur. Ita vt ab illis principium initiũ faciat Arist. quæ aut causæ tantum sunt, aut causæ aut elementa.

In quo sane cum nihil certi dicat Ioan. Gram. nihil etiam contra eum cogimur afferre, per particulam contingit non verum contingens, sed illud quod cum necessario conuertitur intelligit Arist. vt si dixerimus contingere cras solem oriri, data mundi æternitate, & hominem mori propter materię necessitatem.

Tunc enim arbitramur unumquodque cognoscere, cum causas primas cognouerimus, nec non principia prima vsque ad elementa.

Antecedentis siue maioris syllogismi propositionis testimonium ijsce verbis Arist. subscribit, quod quidem demonstratio non est sed quædam vt ita dixerim disciplinę maneries, qua quidem in illis vti solemus, quæ veritatem multam habent: supremum tamen certitudinis gradum minime obtinuerunt, cuius generis illæ sunt propositiones, quæ per contradictionem proferũtur, vt quòd sit necesse vnum esse principium aut plura & de quolibet aut affirmare, aut negare. Medium enim cum nequaquam admittant alterum fateri cogimur, quare nulla indigent ostensione quemadmodum illę, quæ mediæ vocantur inter maxime notas atque ignotas propositiones: à, quibus suas præfationes optimos Rethores Arist. sequutus exordiri solet quemadmodum in principio Metaphy. & post. obseruauit etenim cum facile illis omnes nõ assentiant etsi uere existant leui quadam indigent suasione, quæ aut inductio est aut testimonium à communi quadam opinione acceptum, quod particula arbitramur interposita declarat.

Nec sine ratione testimonium à rebus sumit, quoniam scientia est ipsarum rerum quarum principia contemplatur. Per principia & causas etsi particulam primis adiunxerit quidpiam diuersum ab eo, quod in maiori dictum est, intelligi nõ debet

quoniam

quoniam primæ causæ siue prima elementa ibi intelliguntur, à quibus scientia, quæ naturam immitatur, exordiri debet, quoniam Natura ipsa semper à simplicissimis, quæ vere prima sunt initium suæ actionis desumit: ex quo patet quantum à vero aberrauerint Recentiores, qui per primas causas & prima principia proximas atque immediatas significari uoluerunt quoniam etsi Arist. aliquãdo particula primum pro illis vtatur, attamen quando primum ipsi per se non adiungitur proximum non significat sed summum & remotissimum in vnoquoq; genere, quemadmodum in 2. libro huius operis patere potest cũ inquit in cognitione perfecta rerum summã siue primam causam quærendam esse. Quare per elementa immediatas & proximas causas intelligi uolumus etsi Arist. Elementum aliquando ad materiam primam, quæ remotissima est traducat. ita ut non adiungat eam particulam vsque ad elementa vt sit explicatio eius quod dixit principia prima quemadmodũ Vicomercatus Peripateticus insignis in suis commentarijs putauit: & vt ordinem solum denotet inter principia proxima & immediata non autem inter remota & proxima: qm̃ tunc satis fuisset Arist. sermonem facere de proximis & immediatis rerum principijs, non autem de remotissimis omnium rerum naturalium quæ materia forma & priuatio esse censentur cum in omni mutatione reperiantur. qũo autem priuatio elementum appellari possit non video, nec alicubi illam nomine elementi dignã esse statuit Arist. causa autem cum sit mutationis, quoniam absque priuatione materia formas nõ appeteret principii & causæ nomine appellari potest. ex quo etiam patet quantũ hallucinatus fuerit cũ per prima intellexerit elementa cũ de priuatione agat quæ etiam non est vt ex elementi definitione allata est manifestum. Præterea hæc sentẽtia destruit Arist. in quarta particula cũ ab vniuersalibus ad singularia incedẽdũ esse cõcludit. Quattuor autẽ elemẽta proxima sunt si illis cõparẽtur, qm̃ tantũ rebus ortui atq; interitui obnoxijs propria sũt materia prout primis qualitatibus actiuis & pasiuis prędita sunt, queadmodum

Arist. in secũdo de elementis scriptum reliquit. Quare leuiter Auerroim reprehendunt nec idem vsu uenit in Mathematicis, quod in Naturalibus fieri videmus, quoniam Mathematicæ illis tantum principijs utuntur, quæ in propositionibus siue definitionibus constituta sunt, à quibus immediate id quod volumus deduci potest.

Quod ita se habere Them. exemplo ostendit quoniam in dictionibus litteræ sunt prima principia, syllabę vero ipsa elemẽta in quas littere dissoluuntur: priori itaque loco prima principia, quæ remota sunt deinde autẽ elementa quæ proxima sunt declarari debent. Hoc enim testimonium cũ à sapientum opinione pendeat remotarum causarum & earum, quæ proxime sunt, mentionem continere debet, quod vbi non animaduersi sunt Recentiores ueram huius loci sententiam reliquerunt, quam Græci omnes maxime sequuntur, præter Ion. Gram. qui vtramque proponit, quod quidem mea sententia facere cogitur: quoniam dixit Arist. vnumquodque sic cognosci atque cũ in particulari eorum, quæ in sublimi generãtur naturam quærimus talem ac talem materiam accipimus vtramq; exhalationem: postea vero ad materiam primam & formam descẽdimus. quæ sunt earum impressionum principia quatenus sunt corpora. locus tamen hic in quo in vniuersum de cognitione rerum agitur, requirit vt per primas causas remotissimas: per elemẽta autem proximas intelligamus.

Quod quidem in omni causarum genere locũ habet. principia enim, propinqua rerum cum non sint eadem est necessarium in notitia illarum absoluta principia eadem atque diuersa cognoscere.

Manifestum est, quod & ea, quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de natura est, primum determinare tentandũ.

Conclusionem prædictis Arist. adiungit, quæ materiã operis de physica Ausculatione exponit, quæ quidem in principijs rebus naturalibus communibus constituta, est nec non in illis,

quæ

quæ res ipſas naturales conſequi videntur. Nec eſt accuſandus Ariſt. quod rectam ſyllogiſmi cõcluſionem reliquerit, cum eo cõſilio illud factum ſit, vt omnem horum librorum materiam inſinuaret, quæ in illis verſatur, à quibus Naturalis diſciplina principium facere debet, quorum cognitio cum difficillima ſit, dixit tentandum eſſe de illis determinare. Hæc itaque concluſio ad rectam concluſionem veluti conſequens ſequitur, ac ſi diceret Ariſt. ſi res naturales ſuis principijs intellectis cognoſcuntur, igitur de principijs primum, eſt tentandum ſermonẽ facere. A quo autem principiorum genere initium ſumi velit Ariſt. dubium adhuc eſſe uidetur, quoniam eorum cum alia ſint ipſarum rerum: alia vero ipſius artis & nondum patet an vtrumque intelligat an alterum tantum principiorum genus, quod tantum ipſarum rerum eſſe fertur, quæ in Arte tractari debẽt. Etenim etſi vtriſque principijs vtatur propter eas demonſtrationes quas de rebus facere oportet: cũ tamen a ſcientia, quæ eſt ipſarum rerum naturalium, occaſionem ſumat primum ea principia, quæ ſunt cauſæ aut elementa rerum naturalium intelligi debent, quoniam illis fieri non poteſt, quin in perfecta rerum omnium cognitione non utatur Ariſt. nec communiſsima principia intelligi debent: ſed illa, quæ Naturalis philoſophia patitur quoniam ſuprema rerum principia Metaphyſicus docet. talia enim, quæ ſua ſunt vnuſquiſque Artifex tradere poteſt. Vnde Medicus calidum frigidum humidũ ſiccum pro elementis accipit ad humani corporis contemplationem: non autem ea elementa, quæ ſunt materia omnium generabilium & corruptibilium, quæ ad Naturalẽ philoſophum ſpectant, ita vt Medicus communiſsima nõ tractet humani corporis principia: ſed ea, quæ ſibi propria fore cenſentur, vt ſunt calidum frigidum humidum & ſiccum priora, humores autem & membra poſteriora.

Cum autem in concluſione tantum principiorum meminiſſe Ariſt. videamus, non autem cauſarum atque elemẽtorum indicium eſt ipſum principium pro quodam cõmuni ad cau-

ſas

ſas atque elementa accepiſſe à quibus Naturalem diſciplinam auſpicatur. Ita vt hæc principia communes cauſæ materia forma efficiens & finis eſſe dicantur . atq; in vniuerſum ipſius mutationis cuius etiam priuatio principium dicitur principia.

Particula III.

Innata autem eſt ex notioribus nobis uia & manifeſtioribus ad manifeſtiora natura & notiora .

Propoſita huius operis materia quæ quidem in primis rerū naturalium principijs conſtituta eſſe videtur, cum minime expeditum ſit in principiorum notitiam deuenire . Propterea ꝙ ſimplicisſima ſint & à ſenſibus remota viam ſiueMethodum in hac particula nobis proponit Ariſt. qua in cognitione principiorum vti debemus atque in ceteris rebus naturalibus quę difficillimam cognitionem habent. quæ ſanè Methodus in ea demonſtratione verſatur , quę à poſterioribus ad priora incedit quoniam ea demonſtratio, quæ à prioribus ad poſteriora progredi ſolet, ad ipſorum principiorum cognitionem commoda eſſe non poteſt . Etenim quicquid cognoſci debet cum ſui natura notisſimum ſit uel pœnitus ignotum, quę ignota ſunt demonſtrationem aliquam requirunt, inter ignota vero rerum naturalium principia eſſe uidentur quoniam & à ſenſibus ipſis remotisſima ſunt, nec de illis philoſophi antiqui cōueniant quare opus eſt ut auxilio eius, quod notius eſt nobis adueniāt, quod cum duplex ſit natura & nobis à notioribus natura principiorum demonſtrationes peti non debent: primum quidem quoniam naturam principiorum tolleremus cum de ratione principij eſt, quòd ſit primum deinde vero quoniam eſſet forte neceſſarium in infinitū abire, cum illorū principiorum alia quærenda eſſent principia. Quare ea tantum demonſtratio opportuna erit, quæ à notioribus nobis & poſterioribus natura

ad priora & notiora natura incedit in qua Methodus ipſa conſtitui debet: Nihil enim in rebus naturalibus adeo eſt difficile, quod huius demonſtrationis auxilio nõ aſſequamur, ſiue eſſe ſiue naturam ipſarum rerum quæramus. Materiã enim primã eſſe mutua contrariorum actio & paſsio, quæ ſenſibus patet oſtendit, naturam autem illius Analogia declarat. Multiplices autem animæ vires eorumq. naturas variæ & diuerſæ animalium operationes: etenim in ſenio intelligere cum non marceſcat à corpore minime intellectum dependere nec organo corporeo vti: quemadmodum vegetatiuę atque ſenſitiuę accidit indicauit. actionem enim impaſsibilem à virtute impaſsibili prouenire opus eſt. Eſſe autem hanc viam neceſſariam huiusmodi ratione Ariſt. concludere uidetur, innata eſt nobis via vt à notioribus nobis ad notiora natura incedamus in ſcientijs in quibus non ſunt eadem nota nobis & ſimpliciter, in ſcientia naturali ſunt hęc notiora diuerſa & ſeparata, igitur in contemplatione principiorum & aliarum rerum naturalium eſt neceſſariũ vt à notioribus nobis ad notiora natura progrediamur. cuius ſanè rationis Ariſt. maiorem tantum propoſitionem cũ cauſa ſiue ratione in medium attulit cum concluſione, omittens minorem.

Non enim eadem ſunt nobis nota & ſimpliciter. Quare hoc modo neceſſe eſt ex ijſce, quæ natura minus manifeſta ſunt nobis vero notiora ad ea, quæ apertiora magisq. nota natura ſunt proficiſci.

Rationem ſubſcribit Ariſt. quæ maiorem propoſitionẽ ab eo allatam comprobare videtur, vt ex ijs, quæ conceſſa ſunt veram concluſionem deducere poſsit. Eſſe autem innatam viam in ſciẽtia Naturali vt à notioribus nobis ad notiora natura progrediamur ita oſtendit: quoniam cõtingit vt in Naturali diſciplina non ſint eadem nota nobis & natura quemadmodum in Mathematicis in quibus ſunt eadem nota nobis & ſimpliciter in quibus itaque non ſunt eadem nota nobis & natura opus eſt

vt hoc modo progrediamur, uidelicet ab ijs, quæ ſunt nobis notiora ad natura notiora & manifeſtiora vt ita dixerim.

Quod quidem eſt veriſsimum quoniam nulla cognitio ab illis, quæ ignota ſunt initium ſumere debet cum ignota nullã ſcientiam ſuppeditare ualeant: recteq. Ariſt. indefinitè rationẽ hanc protulit, quoniam ex Logicis patet duas ſubcontrarias ſimul eſſe veras, ut ſi quiſpiam dixerit. Aliqua ſunt nota nobis & natura quemadmodum in Mathematicis. Quædam nõ ſunt nota nobis & natura, vt in Naturali philoſophia & Metaphyſica. Methodum hanc aptiſsime nobis innatam eſſe dixit tũ quia prima nobis data eſt, tũ quia per diſciplinas accedere minime videatur: cognitio enim, quæ à ſenſibus pendet illã, quæ intellectus eſſe fertur antecedit: propterea, quod nihil ſit in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu. Vnde cognitio, quæ à ſenſu ad intellectum tendit, potius cognitio, quàm ſcientia dici debet, quæ cum ſit per cauſam propter quam res eſt notiora natura ſecum habet: itaque notiora, quæ hoc loco ſumenda eſſe tradit Ariſt. non dicuntur principia rei demonſtrandæ ſed potius quædam, quæ illam conſequuntur: atque hoc cognoſcendi modo, qui præceptorius eſt non autem demonſtratiuus in illis utimur in quorũ ſcientia non eſt facultas vtendi veriore demonſtratione ac potiore, quod ſanè fit, quia ſæpenumero rerum natura hoc modo ſe habet cum principaliora non admittit, vel ſi ea habeat ſunt tamẽ nobis occultiora: & minus manifeſta. vt cum Lunam ex diuerſis illuminationibus ſphæricam eſſe probamus, non autem quia ſit quintæ eſſentiæ quoniã non poteſt aliquod corpus orbiculare eſſe quin fuerit ſempiternũ nobis autem eſt occultũ corpora cœleſtia ſempiterna eſſe: quare cogimur per ea, quæ nobis apertiora ſunt figuram illorum ſphæricam eſſe monſtrare. Quod quidem in ſupremis generibus fieri videmus quorum deſcriptiones non autem definitiones afferri ſolent. Quod etiam in ſeptimo Metaphy. ſcriptum reliquit: operępretium enim eſſe ad ea, quę ſunt ſimpliciter notiora ab illis progredi, quæ nobis ſunt notiora. Diſcunt enim

omnes

omnes hoc modo ex minus notis natura ad magis nota profiſciſcētes, ita vt nulli dubium ſit quemadmodum in ceteris con tingit diſciplinis à notioribus in Naturali ſcientia eundum eſſe ad ea, quæ ignota ſunt atque cum non eadem ſint in illa nota nobis & natura quemadmodum in Mathematicis à notioribus nobis ad notiora natura progredi oportere, quod etſi de aliis dici poſsit in quibus diuerſa habentur hæc notiora primū tamen de Naturali diſciplina quemadmodum Auer. ſentit dictum eſt cuius procemium hoc eſt.

Quibus ita explanatis patet quantum illi peccauerint, qui non Methodum hāc Naturali philoſophiæ adeo vtilem ſed ordinem potius Ariſt. ſcripſiſſe affirmauerunt, ac ſi hoc pacto ratiocinetur innata eſt nobis via vt à notioribus exordiamur ſed confuſa, quæ ſunt magis vniuerſalia ſunt notiora, igitur à magis vniuerſalibus ad minus vniuerſalia ire neceſſarium eſt. Ariſt. enim qui nihil, quod neceſſarium ſit omittere ſolet, atque breuitati ſtudet, vitio vertendum eſſet, quod eam propoſitionem indefinitam & concluſionem fruſtra interpoſuiſſet quare cum duæ ſint concluſiones, quæ ab eadem propoſitione ortum ducere poſſunt certum eſt. Duos in hac præfatione pro ceſſus haberi, quorum alter, qui demonſtratione vtitur Metho dum conſtituit: alter vero, qui demonſtratione non indiget ipſum doctrinæ ordinem, quemadmodum latius in quarta particula oſtendemus.

Particula III.

Sunt autem primum nobis dilucida ac manifeſta confuſa magis; poſterius autem ex his nota fiunt elementa & principia ijs, qui diuidunt hæc.

Methodo propoſita, cuius futurus eſt vſus ad principia rerum naturalium & ceterarum rerum, quæ difficillimę ſunt cognitionem, quàm ab ijs, quæ notiora ſunt nobis, natura ve-

ro ignotiora initium sumere dixit: propositum Arist. in hac particula est, primũ quæ nam sint illa notiora nobis, à quibus via hæc innata exorditur exponere, deinde vero ad quæ nam ex illis progrediatur: atque illa primum in Methodo occurrere statuit, quæ composita sunt siue confusa, postea vero ipsorum compositorum partes, ex quibus tanquàm ex suis principijs constare videntur. Quare non recte illi faciunt, qui tantũ hoc loco Arist. quæ nam sint notiora nobis indicare putauerunt, quia constat viam hanc processum quemdam esse, qui & notiora nobis & notiora natura assumit, etsi primum illi notiora nobis offerantur, à quibus vt notiora natura consequamur, occasionem habet, qui illa vtitur in disciplinis. Etenim cum in altera demonstrationis specie constituta sit, intellectiuam cognitionem etiam postulat propterea, quòd demonstratio opus sit ipsius intellectus, quare Methodus cum à compositis ad eorum partes incedat, & sensu & intellectu vtitur: à sensu enim, qui quodammodo principium scientiæ est, occasionem sumit, ut auxilio intellectus vnumquodq; distinctæ cognoscere valeat, quemadmodum experimur in cognitione domus euenire, sensui enim sola domus primum offerri solet, ratio autem ipsa Domum in suas partes dissoluens, illius principia quærit & intelligit, atque illis intellectis distinctam illius cognitionem consequitur, quæ ab ipsa definitione oritur, domum scilicet operimentum esse ex lapidibus cementis & lignis factum à domificatore, propter iniurias cœli prohibendas. Huiusmodi autem cognitionem cum doctissimi quidam Latinorum suspicarentur, cognitionem generis appellauerunt, quoniam & sensitiuam & intellectiuam complectitur. de qua quidem commodius agemus, cum difficultates illas tractabimus, quæ locus hic peperit, satis obscurus, quoniam confusum siue id quod totum esse videtur, non solum in ipsa cognitione generis, verumetiam & in alijs locum primum habere videatur, si nostrum cognoscendi modum inspexerimus. Quare mirum non est, cum plurimi non composita, quod hic legendum iu-

dicamus, ſed confuſa potius dixerint, ſi vnicum tantum proceſſum in hac præfatione haberi uoluerint, qui quidem eſt ab uniuerſalibus ad ſingularia incedens. Quoniam confuſa hæc ipſa vniuerſalia eſſe putauerunt, quod ita ſe habere poſterius oſtendemus, cum duos proceſſus ſibi repugnantes interponat Ariſt. quorum prior demonſtratione vtitur, alter autem Naturam ipſam generantem imitatur. Quos quidem notiora diuerſa ſumere oportet, alterum ipſa compoſita, cum ſint confuſa, alterum vero ipſa magis communia, quæ ſi minus communibus conferantur etiam confuſa dicuntur. cum totius vtrumque rationem habeat. Quod Theoph. Ariſt. diſcipulus cognouit, quãdo ait: Cum res oẽs naturales abſq; motu cognoſci nequeãt, de naturalibus dicentes, ſenſum prætermittere non poſſumus, ſed ab eo incipientes tentandum erit, naturalia contẽplari, & eorũ principia, quare cũ proceſſus hic demonſtratione quia utatur, per cõfuſa ipſa cõpoſita quę ſenſibus ſubiiciũtur, intelligere oportet, nõ autẽ magis vniuerſalia, ſiue particularia, qm̃ vniuerſalia tantum ab ipſo intellectu cognoſcuntur, atque illorum notitia innata non eſt, niſi Platonicum dogma ſequi uoluerimus, eorumque principia & cauſæ cum prima ſint & ſimpliciſsima, non reperiantur, in quæ diſſolui poſsint, niſi valde æquiuoce, vt ſi ſpecies principia generum dicamus, quia partes illius eſſe uideantur: atque ſi hoc pacto vniuerſalis principia dicere voluerimus, ei ſolum cõuenire videbitur, quod vniuerſale poſt multa nuncupatur, de quo nullũ poteſt in hoc loco ſermonẽ facere Ariſt. cõſtitutum itaq; ſit, ipſa cõpoſita in via doctrinę notiora eſſe, quẽadmodum ſunt cauſæ & principia in ordine doctrinę, qui naturam imitatur, propterea quod quemadmodum recte Auer. notauit, Natura ſi cognoſceret, veluti in generatione rerũ incipit à cauſis, ita etiam illas primum cognoſceret, quemadmodum Artifices, qui in artefactis à cauſis Artefactorum incipere ſolent. nec inculpandus à Recentioribus tam leuiter venit Auer. qui hypotheticè loquutus eſt, cum ſit manifeſtum natu-

ram

ram ſine cognitione agere, niſi Deum aut intelligentiam Naram ſtatuamus, quemadmodum Ariſt. in primo cęli ſcriptum reliquit: Recte videtur Natura futurum ingenitum & incorruptibile, exemiſſe à contrarijs. Quare Naturam hanc potuit intelligere Auer. ut nihil tam temere illi imponi debeat. In omni itaque cognitione ex ijs, quę determinauimus cum ipſum confuſum ſit nobis primo notum, vanum & inutile eſt amplũ & magnificum de primo cognito quæſitum interponere, in quo illi laborant qui Ariſt. non intelligunt: etenim cum methodus ſenſum & intellectum requirat, ordo autem ipſum intellectum tantum, compoſita autem & vniuerſalia cõfuſa ſint, cui dubium in vtroque proceſſu id quod confuſum eſt ſiue totum primo notum eſſe.

Particula IIII.

Quapropter ex vniuerſalibus ad ſingularia procedere oportet; totum enim ſecundum ſenſum notius eſt, vniuerſale autem totum quoddam eſt, multa enim comprehendit ut partes, vniuerſale.

Occaſione eorum quæ Ariſt. determinauit, non eſſe eadem nota nobis & natura, & propterea neceſſarium fore, vt à notioribus nobis ad notiora natura incedamus, illis inuentis adhuc non patet, cum hęc ſimpliciter nota ſint magis communia & minus communia, à quibus in tractatione rerum naturaliũ auſpicari oporteat, quare in hac particula cogitur Ariſt. oſtendere, etiam ab illis, quæ natura magis ſunt nota, incipiendum eſſe, quæ cum ſint vniuerſalia, ſi ſingularibus comparentur, igitur in ordine doctrinæ, qui in illis poſitus eſt, cum prius & poſterius admittant, ab ipſis vniuerſalibus eſt incipiendum, & poſtea ad ſingularia progrediendum, quoniam ordo doctrinę cum ſit proceſſus quidam, qui naturam imitatur, aliud in eo moliri

moliri non decet, quàm natura ipſa facit in rerum compoſitio ne & generatione. Vnde veluti per corollarium, colligit in ordine doctrinæ, qui compoſitiuus eſt, hoc modo incedendum eſſe, cuius rei eam ſubiungit rationem, quoniam vniuerſalia ſi conferantur ſingularibus, cum habeant ratione͂ totius, quemadmodum compoſita quia multa continent ueluti partes, ab illis in ordine doctrinæ, qui etiam à confuſis initium ſumere debet, exordiri oportet. Intellectu enim tantum cum vtatur artifex in ordine, ea quæ apud intellectũ notiora ſunt, anteponi ſemper debent, vt à magis manifeſtis auſpicetur.

Prudentiſsimi itaque Artificis munus exercet Ariſt. quem in Naturæ rebus declarandis, nihil facere licet, quod naturam ipſam æmulari non videatur: Natura vero cum ſemper à ſimpliciſsimis & primis rerum generationes ſuſcipiat, Naturalis philoſophus ab illis rerum naturalium ſcientiam ſumere debet. Quod clarius ſcriptum nobis reliquit Ariſt. in principio lib. de partibus animalium cum inquit, in omni contemplandi genere primum communia docenda ſunt, deinde illa, quæ vniuſcuiuſque propria eſſe cenſentur, ut a notioribus auſpicemur & demonſtrationis fundamenta habeamus nec non vt inutilem rerum repetitionem euitare poſsimus. In ordine itaq; doctrinæ, qui compoſitiuus eſt atque intellectiuam cognitionem ſibi vendicauit, quæ vniuerſalium tantum eſſe fertur, à magis uniuerſalibus ad minus vniuerſalia incedere operæpretium extat. Magis autem vniuerſalia cum trium ſint generum, ante multa, in multis, & poſt multa, dubium adhuc eſt quibus primum ordo hic vtatur. atque magis dubium eſt an hæc vniuerſalia ſint ipſa Theoremata & propoſitiones indemonſtrabiles, an vero principia ipſarum rerum prima & ſimpliciſsima, quæ in ſcientia pertractari debent.

Simplicius putauit vniuerſalia, quæ ſunt in multis, intelligi, quoniã vniuerſalia poſt multa intelliguntur intellectis ſingularibus, quæ ad Dialecticum potius ſpectare videntur. Vniuerſalia vero ante multa ſi dantur, ad Metaphy. ſpectare uide͂-

tur

tur, quare vniuersalia in multis sunt ea notiora in cognitione intellectiua, à quibus ordo doctrinæ initium facere debet, cuius generis sunt materia prima forma & priuatio. nec non Natura siue motus, quæ in omnibus rebus naturalibus spectantur.

Ioannes autem Gram. cũ per vniuersalia interpretatus fuerit particulare, siue singulare indefinitum, quem Latini quidam sequuti sunt, voluit vniuersale in multis minime intelligi debere, primum quidem propterea quod exempla, quæ Arist. adfert in sequentibus illi nullo pacto competere possunt, deinde vero quoniam vniuersale in multis nihil aliud sit, quàm congregatio particularium, videlicet prædicatum quod communiter de omnibus prædicatur, quare inquit Ioan. Gram. ipsum singulare indefinitum, quod proxime est sub specie ordinatum, de quo nescimus cui singularium competat, quę sub specie continentur, intelligi, ut cum uidemus à lõge aliquem hominẽ primũ dicimus esse corpus, deinde animal, donec ita prope fiat, vt hominem dicamus, & postea Ioannem aut Petrũ, quæ singularia definita sunt qm̃ nulli alij competere possunt.

Hæc Ioannis Gram. sententia meo iudicio ijs, quæ pro ueritate diximus, conuenire non potest, quoniam non de ea cognitione loquitur Arist. quæ sensuum tantum est, sed de illa, quæ a sensu ad intellectum procedit, in qua ab ipso singulari definito ad illius partes & principia incedimus, progredi autem a singulari uago ad definitũ nihil aliud denotare potest, quàm ab eo quod magis confusum est ad minus confusum descendere. per sensum, quoniam primum a remotis uideo esse quendam hominem, deinde autem hunc & illum.

Præterea decipitur Ioan. Gram. cum exempla, quæ posterius adfert Arist. vniuersali in multis competere nolit cum exemplum de toto illi & de pueris conueniat, propterea, quod & ipsum sit confusum & singularia in quibus est comprehendat, tota enim similitudo vniuersalis & totius in ipsa confusione & continentia spectatur, propter quam hæc

omnia

omnia in nostra cognitione primum cognoscuntur.

Amplius videtur ipsum particulare si indiuiduo cõferatur, tum nobis tum natura primum occurrere, quoniam Natura primum generat aliquem hominem, deinde Socratem, aut Platonem. Nos etiam antequam natis nomina imponamus hominem dicimus, hunc autem & illum cũ Caliam esse statuimus.

Alterum etiam Ioannis fundamentum dubium est, quoniã nondum patet, an vniuersale in causando an vero in prædicando intelligat Arist. de quo non modicam Latini controuersiã habent. Ego vero qui vniuersalia in causando Arist. intelligere sentio, propterea quod in ordine demonstratiue nõ procedat sed determinatiue: & quia vniuersalia in prædicando ad Logicam spectant, non autem ad naturalem Artificem, deceptus fuit Ioan. cum crediderit, vniuersale in multis esse prædicatũ quoddam, cum tale potius sit vniuersale post multa. Materia enim cum forma & priuatione non prædicantur de rebus, quę ex illis fiunt, sed tantum ab illis esse habent media mutatione, & propterea est necessarium in cognitione rerum, quæ ab illis ortum habent, artificem exordiri.

Itaque per vniuersalia recte Simplicius vniuersale in multis exponere videtur, quoniam cum multa contineat, rationẽ totius habet, quod confusum est. Materia enim & forma nec non priuatio in omni mutatione reperiuntur, atque nullum est naturale corpus, quòd materiam & formam non habeat, ita vt in omnibus diffusa sint hæc duo principia, cum illorum sint causæ per singularia autem etsi videatur ea significare, quæ à principijs ortum habent, quæ sunt corpora omnia tum simplicia tum composita, quoniam ordo doctrinæ ut à principijs ad ea, quæ ab illis ortum habent, progrediamur, postulare uidetur: in scientia tamen, quæ de illis agit, cum singularia non admittantur, ipsa minus vniuersalia nobis per singularia Arist. significauit, ordo.n.cum intellectu solo vtatur, in vniuersalibus manet. Quare magis communia cum sint cõfusa, si minus communibus comparentur, primum à nobis co

gnoſci debent. Quod indicare nobis Ariſt. in libris de anima videtur, cũ primum ea, quæ omni animæ communia ſunt, tractet, deinde vero ea, quæ ad vnamquamque animæ facultatẽ pertinere dicuntur, quod poſt communem tractationem facere cogitur, propterea quod tractatio, quæ in cõibus verſatur, confuſam notitiam tribuit, particularis autem diſtinctam.

Adhuc tamen difficultatem nobis facit Alexander & qui eũ ſequuntur, cum exiſtimauerint, non vniuerſalia in multis quę rerum ſunt principia, ſed vniuerſales & primas propoſitiones intelligere Ariſt. à quibus doctrinam de rebus naturalibus auſpicatur, qualis ea eſſe fertur: quòd ſit Neceſſe aut vnũ eſſe principium aut plura. Quæ Alexandri opinio vt mea fert ſententia dictis philoſophi minime conuenit, etſi locum aliquem habere videatur, quoniam Artis & rerũ principia in ſcientijs non ſeparantur, quæ demonſtratione vti debẽt. Etenim ea notiora in ordine proponit Ariſt. veluti in Methodo, quæ cõfuſa ſunt, Axiomata per cõtradictionem prolata, cũ ſint maximæ veritatis, non ſunt confuſa ſed maxime diſtincta. Præterea quod Alexandrum valde redarguit, eſt qm̃ certũ eſt Ariſt. Methodũ propoſuiſſe propter illa, quæ difficillima ſunt in ſciẽtia naturali, cuius generis ſunt principia rerũ naturalium prima & ſimpliciſsima, quæ à nobis maxime diſtãt, propoſitiones autẽ illæ primæ cum ſint notiſsimæ, methodum hanc minime requirunt.

Amplius Ariſt. deſtruit, qui in cõcluſione primę particulæ materiam librorum de Phyſica Auſcul. ſtatuit eſſe rerum principia, non autem ipſa Theoremata ſiue dignitates à quibus demonſtrationes exordimur.

Itaq; melius eſt vt Simpliciũ & alios ſequamur, qui per vniuerſalia prima & ſimpliciſsima principia, quæ in rebus naturalibus inueniri poſſunt intelligunt, quoniam ab illis ſcientia naturalis auſpicatur, vt ea quæ ex illis ortum habent poſtea docere valeat. quoniam ordo qui naturam imitatur ita requirit. Nos autem qui hæc ſcientificè tractare debemus cogimur demonſtratione vti, & immediatas aſſumere propoſitiones quæ

res Alexandrum & multos adhuc decipit.

His itaq; hũc in modum discussis nullũ locum habet quæsitũ de regressu, qm̃ etsi duo sint processus ab Arist. propositi, alter tantũ demõstratione vtitur, alter vero nequaquã. Regressus autem duorum est processuum quorũ vterq; sit demonstratio.

Nulla præterea est contradictio in qua oẽs adhuc laborant, libri post & huius loci, cũ illhic dicat propinquiora sensui nobis notiora, hic autẽ vniuersalia, quæ à sensibus maxime distãt. Potuit vtrumq; dicere Arist. & recte: etenim Logicus cũ sit Artifex cõis quemadmodũ Metaph. distinctione illa vtitur cõiter atq; illam proponit vt habeat notius, quod demonstrationi accommodatum est. cuius definitionẽ quærit & ob id nulli notitię definitę distinctionẽ illam accõmodat sed in vniuersum accipit, dari alterum prius & notius nobis alterũ simpliciter. In ijs autẽ libris Arist. cogitur determinatis notitijs ipsum notius accommodare, ita ut in cognitione, quæ sensu et intellectu vtitur, cõposita sint notiora, in ordine qui intellectu solo vtitur sint ipsa vniuersalia, si cõparentur singularibus. Nec est necessarium vt eas solutiones afferamus quas vnusquisq, apud interpretes videre potest, nec vt aliquid noui dicamus & Auer. imponamus præter rationem, quẽadmodum faciũt Recentiores.

Difficultatibus autẽ sublatis cõstare satis debet, ab vniuersalibus. i. a magis cõibus in scientia Naturali ad minus cõia incedendum fore, ordinẽ doctrinæ postulare, quod ea ratio indicat, qm̃ in omni cognitione cũ à notioribus sit inchoandum, si totum in Methodo quæ à sensu incipit notius est, propterea quod cõfusum est, in ordine etiam ipsum vniuersale quod collatum singularibus totũ quoddam est & confusum, notius esse debet: quare & ab illo exordiẽdũ uenit, ex quo patet adhuc magis quantum peccauerint illi, qui vnicum processum Arist. scripsisse uoluerunt, cum proportione utatur, quę non nisi duorum esse potest, similitudo enim quædã inter totum & vniuersale cadit, propterea ꝙ vtrumq; in comparatione partium siue inferiorum, quæ continere videntur, dicuntur totum quod-

dam eſſe, etſi alterum ab altero differat, quoniam vniuerſale ſpeciebus ſub eo contentis nomen impartitur, totum quem ſuis partibus nequaquàm, cum nemo manum recte nomine totius corporis humani appellauerit: craſſa enim & rudis cognitio cum nobis maxime ſit familiaris, & omnibus accommodata eaq. rationem totius habent ſemper nobis ſunt notiora. Ita vt ſit neceſſarium duos proceſſus dari quorum primum mentionem habuit Plato in Alcibiade quem Ariſt. diſcipulus ſequutus eſt.

Particula V.

Sustinent autem idem quodammodo & nomina ad rationem, totum enim quoddam indiſtinctè ſignificant vt puta Circulus. Definitio autem ipſius diuidit in ſingularia. Et pueri primum appellant omnes viros patres & fœminas matres. Poſterius autem determinant horum vnumquodque.

Videtur in hac particula exemplis quibuſdam allatis Ariſt. oſtendere, illud quod totum eſt & rationem confuſi habet, nobis ſemper primo notū eſſe, eo quod diſtinctum eſſe dicitur, ita ut duo exempla propoſita duobus proceſsibus commode aptari valeant, quemadmodum Simpl. quem Auer. ſequitur putauit, ac ſi primum exemplum de nomine & definitione rerum ipſi methodo magis accommodatum ſit, exemplum autem à pueris acceptum ipſi ordini doctrinę conuenire poſsit, itaque cum uideamus, in cognitione rerum primum illam contingere, quæ eſt ipſius nominis, deinde autem illam quæ per definitionem accedit, Nomen vero confuſam ſolum rerum notitiam ſuppeditet, quoniam totum quoddam & indiſtinctè ſignificat, nulli dubium eſt id quod confuſum eſt, primo nobis notum eſſe, quemadmodum de circulo, primum circulum eſſe, quod etiam indoctis accidit, intelligimus, deinde autem à Mathematicis edocti, quod ſit figura plana una linea contenta, in qua omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam ſunt æquales, quæ ſane ratio partes ipſius

circuli

circuli nobis declarat, ita vt distinctam nobis tribuat circuli cognitionem, nomen autem cum in singularia non diuidat confusam & crassam notitiam ipsius circuli tantum concedit: vnde etiã ipsum quid nominis ipsum quid rei in doctrinis antecedit, propterea quòd confusam notitiam parit, non autem distinctam. Quare per nomen hoc loco cum quibusdam Latinis ipsum quid nominis minime intelligi debet, sed nomen ipsum, quod magis confusam ipso quid nominis scientiã præbet. Pueri prætere a qui ratione uti nesciunt, primum confusam cognitionem habent, cum omnes viros patres, omnes vero fœminas matres appellent, deinde autem distinctam assequuntur, cum proprios parentes ab aliis distinguere norunt.

Itaque cum videamus confusam cognitionem eam antecedere, quæ distincta est, nulli dubium esse potest, ipsum totũ quod confusi rationem habet, semper notius esse. Quare tum in Methodo tum in ordine doctrinæ ab ijs, quæ confusa sunt, Naturalem Artificem exordiri operæpretium extat, cum autẽ non sit omnimoda similitudo inter nomen &totum, recte adiunxit eam particulam quodammodo, Arist. quoniam non quemadmodum totũ ipsum in partes diuiditur, ita & ipsum nomen est ab ipsa definitione diuisum, sed nominis significatum definitio diuidit, neque quo pacto singulare est vniuersalis pars, definitionis partes sunt nominis partes. Et propterea uidetur primum exemplum magis methodo accommodatum esse: secundum autem ipsi ordini, propterea ꝙ vniuersum de suis partibus separatim dicitur, ut animal de homine & equo, Nomen autem de toto quidem eo, quod definitione exprimitur, at non de partibus illius. Quibus ita explanatis, nihil quod ad hanc Præfationem attinere posit, à nobis relictum fuisse uideo, in qua tria nobis Arist. tradidit, primum quidem librorum de Physica auscultatione materiam, deinde autem Methodum, cuius erit vsus in rerum naturalium cognitione, quam demonstrationem à posteriori esse voluit, cui ordinem adiunxit, quem res naturales, quæ tractari debent, requirunt,

quirunt, qui quidem compositiuus est, à simplicioribus ad ea, quæ composita sunt incedens, quod quidem etiam in particularium rerum tractatione obseruare videtur. veluti in lib. de Animalibus & de anima. in quibus ne quidem unguem ab eo ordine discedit.

Quę profectò cogitur Aristo. docere atq; omittere subiectū genus totius philosophiæ naturalis in prima particula propterea quod à Metaphy. substantiā sensibilem cui motū adiungit accipere debet Methodum autem præscribit, quoniam sine illa quæ intellectus sunt commode sciri nō possunt nec inueniri, quæ quidem inuenta cum fuerint cum ordinem requirant postremo loco ordinem adiungere oportet quem compositiuum esse voluit, quoniā hic ordo ad res pertractandas & ad eas quas inuenimus commodissimus extat, ex sententia Gal. in principio Artis medicinalis.

FINIS.

Errata, quæ operarum præpropera festinatione irrepserunt, ita corrigito.

Pag.	versu	Errata	correcta
9	8	mereantur	mereatur
	24	primam	primum
11	26	ha	hac
12	34	cum per	si per
13	3	perpetuum	perpetuam
31	3	tantum	etiam
	7	dicitur	dixit
32	11	vt hic	vt hæc
36	2	principium	principijs
52	2	totum quem	totum autem
	6	eaq.	ea quæ